

QUID XENOPHO COMMENTARIIS SCRIBENDIS EFFICERE VOLUERIT.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONCESSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
IN UNIVERSITATE ROSTOCHIENSI
RITE IMPETRANDOS
SCRIPSIT

PAULUS GERHARDT
MEGALOPOLITANUS.

ROSTOCHII.
TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS.
MDCCCXC.

Referent: Prof. Dr. *E. Schwartz.*

EDUARDO SCHWARTZ

S.

In Xenophontis commentariis num genuina Socratis doctrina servata sit necne, magna inter viros doctos exstat discrepantia, quae quamquam multi multa de hac re disputarunt, adhuc tamen soluta non est. Cum ante hoc saeculum plurimi Bruckerum secuti uno ex Xenophonte veram Socratis philosophiam disci posse arbitrarentur, Schleiermacherus [1]) primus in hac sententia offendit, cum fieri non posse censeret, ut illa disciplina, quam Socratem docuisse Xenopho nobis traderet, apta fuisset, quae non solum cunctis qui ante eum floruissent philosophis tenebras obduceret, sed etiam omnes aequales summa admiratione afficeret. Ut cognosceremus, quis qualisve Socrates fuisset, ad Platonem redeundum esse censuit eoque adiuvante imaginem a Xenophonte expressam supplendam atque amplificandam.

Quibus argumentis commoti viri docti hanc rem iterum in quaestionem vocarunt; sed quotquot in ea versati sunt, ad certum finem non pervenerunt: immo nunquam dissensio maior fuisse videtur, quam hac ipsa aetate. Cum alii Xenophontem philosophum non fuisse eamque ob rem quae tali indigna in commentariis inveniantur non ad Socratem, sed ad Xenophontem ipsum referenda esse credant, alii in vetere opinione perseverantes Xenophontem magistri doctrinam sincere integreque nobis servasse arbi-

[1]) v. Gesammelte Werke III 2, 287—308.

trantur, alii etiam novam viam ingressi multa inesse commentariis statuunt, quae a Xenophonte scripta non sint, sed aut interpolata aut aliunde inserta. Qua ratione usi Krohnius[1]) et Hartmannus[2]) ita procedunt, ut maximam Memorabilium partem depravatam atque interpolationibus refertam esse demonstrare conentur et, si utrique fidem habere velimus, nos iubeant totum fere librum a Xenophonte abiudicare.

Krohnius Cobetum[3]) secutus Xenophontem nullo alio consilio Memorabilia scripsisse contendit, quam ut Socratem ab impetu Polycratis defenderet eiusque ‚κατηγορίαν' refutaret. Etsi doctam Cobeti de hac re disputationem multum verisimilitudinis habere concedo, tamen veram esse eam negaverim. Permulta enim in commentariis inveniuntur, quae huic sententiae repugnant. Unum liceat adferre. Xenopho siquidem nihil aliud sibi proposuisset, nisi ut magistrum a criminibus in eum collatis purgaret, nunquam prodidisset, eum populare imperium vehementissime acerbissimeque impugnasse et plebem, quae in concionibus de summis rei publicae rebus deliberaret, prorsus contempsisse: Mem. III. 7, 6 πότερον γὰρ τοὺς γναφεῖς αὐτῶν ἢ τοὺς σκυτεῖς ἢ τοὺς τέκτονας ἢ τοὺς χαλκεῖς ἢ τοὺς γεωργοὺς ἢ τοὺς ἐμπόρους ἢ τοὺς ἐν τῇ ἀγορᾷ μεταβαλλομένους καὶ φροντίζοντας ὅτι ἐλάττονος πριάμενοι πλείονος ἀποδῶνται αἰσχύνῃ; ἐκ γὰρ τούτων ἁπάντων ἡ ἐκκλησία συνίσταται. Apparet tales narrationes Socratem a criminibus hominum obtrectantium diluere non potuisse, immo aptas fuisse, quae populum lacesserent et, ut partes adversariorum sequerentur, commoverent. Accedit quod Xenopho nonnullis locis sententias aliorum hominum adfert et refutat, quae ad

---

[1]) Socrates u. Xenophon. Halis 1875.

[2]) Analecta Xenophontea, Lugduni Batavorum et Lipsiae 1887.

[3]) Novae lectiones p. 662 sqq.

Polycratem spectare non possunt, sed aut ad discipulos aut ad alios quosdam, qui Socratis consuetudine usi erant referendae sunt, v. Mem. I 2 19; I 4, 1 sqq.

Ab hac igitur sententia tanquam fundamento profectus Krohnius omnia, quae ei repugnant aut magistri memoriam inquinant, aliunde inserta eamque ob rem a Xenophonte abiudicanda esse arbitratur. Quod ut pro certo affirmet, commentarios accurate perscrutatus multos locos in iis inveniri ostendit, qui haud dubie interpolatorem prodant. In hisce ante omnia numerat memorabilem illam de providentia deorum disputationem (I 4) multasque causas adfert, ex quibus appareat, eam doctrinam, quam Xenopho hoc loco protulerit, non a Socrate sed demum a Stoicis prolatam esse. Sed argumenta, quae quidem magna eloquentia proferuntur et primo obtutu speciem veritatis prae se ferre videntur, si accuratius perspexerimus, non solum vana, sed prorsus falsa esse intellegemus.

I.

Atque primum quidem offendit in verbis quae in initio huius capitis exstant: εἰ δέ τινες Σωκράτη νομίζουσιν, οἷς ἔνιοι γράφουσί τε καὶ λέγουσι περὶ αὐτοῦ τεκμαιρόμενοι, προτρέψασθαι μὲν ἀνθρώπους ἐπ' ἀρετὴν κράτιστον γεγονέναι, προαγαγεῖν δ' ἐπ' αὐτὴν οὐχ ἱκανόν, σκεψάμενοι μὴ μόνον ἃ ἐκεῖνος κολαστηρίου ἕνεκα τοὺς πάντ' οἰομένους εἰδέναι ἐρωτῶν ἤλεγχεν, ἀλλὰ καὶ ἃ λέγων συνδιημέρευε τοῖς συνδιατρίβουσι δοκιμαζόντων, εἰ ἱκανὸς ἦν βελτίους ποιεῖν τοὺς συνόντας, cum ex iis evaderet, priusquam Xenopho librum suum in lucem emitteret, plures iam de Socratis fato et doctrina scripsisse. Quod quamquam excepto Polycrate omni probabilitate carere auctor sibi persuasit, fieri tamen potuisse concedit. Magnopere autem suspicionem eius movent vocabula ‚προτρέπεσθαι' et ‚προάγειν', cum

aliena sint a Xenophonte et ad Clitophontem Platonis dialogum, qui multo post eius aetatem compositus sit, spectare videantur. Contendit porro, ‚προτρέπειν' hanc adhortandi significationem Socratis vel Xenophontis temporibus omnino non habuisse, sed ita demum a Stoicis usurpatum esse; sed in hac re magnopere erravit ipseque concessit (p. 179), se paullo celerius iudicasse, cum etiam aliis huius libri locis quin ‚προτρέπειν' nihil aliud significare possit nisi ‚adhortari' dubitari nequeat. Totam autem eius sententiam prorsus falsam esse apparet ex Platonis Euthydemo, in quo idem verbum eadem significatione saepissime usurpatum invenimus.[1])

Sed cum Euthydemus ad hunc locum bene intellegendum multum valeat neque adhuc satis explicatum sit, quid Plato hoc dialogo efficere voluerit, ut de integro eum perscrutemur opus esse mihi videtur. Cum Schleiermacherus cognovisset, plures huius dialogi locos contra Antisthenem, Cynicorum principem, scriptos eiusque paradoxa a sophistis Euthydemo et Dionysodoro prolata irrisa esse, omnes fere viri docti arbitrati sunt, illas disputationes a Socrate cum Clinia institutas integram reddere Platonis disciplinam. Quam sententiam etiam Hermannus Bonitzius[2]) recepit, summum consilium eo contineri sibi fingens, ut quam vana sit sophistarum doctrina demonstretur: „Der Beruf der Philosophie, die wahre Bildnerin der Jugend zu sein, wird gerechtfertigt gegenüber der Scheinweisheit, die an ihre Stelle treten will, durch Selbstdarstellung der einen und der anderen" (p. 126).

Sed qui has disputationes accurate perspexerit, eum effugere non potest, Socratem in definienda illa scientia, quae effectrix sit omnis felicitatis, in tantas

---

[1]) v Euthyd. p. 274 E. 278 C. 278 D. 282 E. 307 C.

[2]) Platonische Studien p. 93 sqq.

implicari difficultates, ut ipse se eas solvere non posse confiteatur. Cur Plato Socratem in tales difficultates se implicantem fecit? Nonne, si suam disciplinam a Socrate prolatam unice rectam esse demonstrare voluit, plurimum eius intererat, ut Socrates ipse omnes difficultates solveret et nullo adiuvante hanc scientiam inveniret?

Postquam Euthydemus et Dionysodorus Cliniam adulescentem ita perturbaverunt, ut de salute sua desperaret, Socrates ut eum adiuvaret sophistas duplici verbi ‚μανθάνειν' significatione usos eum lusisse ostendit. Se tamen non dubitare, quin quae promiserint postea persoluturi sint atque demonstraturi, quam necessarium sit omnibus hominibus studium veritatis. Sed priusquam hoc effecerint, se ipse exemplum iis propositurum esse quemadmodum adulescentes facillime ad virtutem exercendam perduci censeat.

Constat, inquit, nos omnes felicitatem adpetere; quam assequimur possessione multorum bonorum. In his numerandae sunt divitiae valetudo potentia temperantia iustitia sapientia al.: denique adfert ‚εὐτυχίαν', quam tamen statim reicit, quippe quae iam sapientia contineatur. Qua de re disputetur opus non est, cum tam perspicua sit, ut puer ipse eam percipere possit. Sapientia enim, cum errare nequeat, una efficit, ut qui prudenter agat etiam quae sibi proposuerit feliciter assequatur. Qua praesente ubique semper recte beateque versamur, sin autem inscientia animos regit, divitiae honores alia, quae in bonis ducuntur, nocent magis quam prosunt.

Ex hoc consequitur, ut sapientia una revera pro summo bono, quod cetera bona comprehendat omnia, inscientia pro summo malo habenda sit, p. 281 E.

Sed non sufficit, haec bona possideri; veram ut assequamur felicitatem, etiam recte iis uti sciamus necesse est. Quod cum una efficiat scientia, unicuique

adpetendum est, ut fiat quam sapientissimus et omnes labores, qui ad adispiscendam eam opus sunt, subeat. Sapientiam enim discendo comparari posse et Clinias concedit et Socrates nulla quaestione adhibita ponit.[1]

Hactenus prior disputatio; cui adnectit Socrates alteram, qua eam scientiam, quae nobis aliquem fructum praebeat, adpetendam esse demonstrat. Haec autem est illa cognitio, ἐν ᾗ συμπέπτωκεν ἅμα τό τε ποιεῖν καὶ τὸ ἐπίστασθαι χρῆσθαι τούτῳ (p. 289 B); quam neque tenent ii, qui citharas vel tibias fabricant neque ‚οἱ λογοποιοί', cum hos omnes quae effecerint uti nescire, sed aliis in usum tradere apertum sit.

Quibus reiectis Socrates artem rei militaris profert eamque omnes quae opus sint conditiones comprehendere arbitratur. Sed haec quoque a Clinia tam acutis et firmis argumentis refutatur, ut Crito de tanta adulescentis prudentia admiratione affectus, num revera Clinias ille haec dixerit, interroget (p. 290 E.).

Ad hoc Socrates Critoni iter sermonis cum Clinia instituti verbotenus prodit; tunc eum breviter edocet, se et Cliniam diuturna quaestione habita tandem artem regiam sive civilem illam esse quae quaeratur scientiam statuisse. Hanc enim omnes ceteras artes complecti et quae ab illis effecta sint in usum accipere. Accuratius autem, pergit Socrates, nobis pervestigantibus, num omnia quae statuta essent in se comprehenderet, iterum nos in falsam rationem incidisse apparuit. Nam ut sit ista scientia, aliquid boni eam proferre oportet, bonum autem esse unam scientiam supra vidimus; necesse igitur est scientia non eas artes, quae nec bonae nec malae sint, proferat, sed se ipsam: p. 292 D. τῶν μὲν γὰρ ἔργων οὐδενὸς δεῖ αὐτὴν δημιουργὸν εἶναι τῶν μήτε κακῶν μήτε ἀγαθῶν, ἐπιστήμην δὲ παραδιδόναι μηδεμίαν ἄλλην ἢ αὐτὴν ἑαυτήν.

---

[1]) v. p. 282 A—D.

Qua ratione cum ad certum finem perveniri non posse appareat, Socrates de integro sophistas precibus adit, ut sibi et Cliniae auxilium adferant et rectam qua ad sapientiam illam cognoscendam perducantur viam ostendant.

Utriusque disputationis tanquam fundamentum positum est in utilitate, quod principium omnis felicitatis putatur. Itaque talia bona expetenda sunt, quae aliquem fructum nobis praebeant; una de causa cum sit nobis summo commodo, scientia pro summo bono habenda est. Cuius cognoscendi studium referendum est ad utilitatem, quae nihil aliud esse nisi bonum ipsum demonstratur p. 292 A: οὐδὲ γὰρ ἡμεῖς, ὦ Κρίτων· ἀλλὰ τοσόνδε γε οἶσθα, ὅτι εἴπερ ἐστὶν αὕτη ἣν ἡμεῖς ζητοῦμεν, ὠφέλιμον αὐτὴν δεῖ εἶναι. — πάνυ γε. — οὐκοῦν ἀγαθόν γέ τι δεῖ ἡμῖν αὐτὴν παραδιδόναι; — ἀνάγκη, ὦ Σώκρατες.

Haec utilitatis disciplina nihil habet commune cum eximia illa Platonis philosophia, quae libera ab omnibus rebus terrestribus animos convertit ad ideas et sapientiam nullius rei causa nisi ipsius expetit. Qua ex idearum contemplatione assequimur veram felicitatem: Theaet. p. 276 A. Ἀλλ' οὔτ' ἀπολέσθαι τὰ κακὰ δυνατόν, ὦ Θεόδωρε. ὑπεναντίον γάρ τι τῷ ἀγαθῷ ἀεὶ εἶναι ἀνάγκη· οὔτ' ἐν θεοῖς αὐτὰ ἱδρῦσθαι, τὴν δὲ θνητὴν φύσιν καὶ τόνδε τὸν τόπον περιπολεῖ ἐξ ἀνάγκης. διὸ καὶ πειρᾶσθαι χρὴ ἐνθένδε ἐκεῖσε φεύγειν ὅτι τάχιστα. φυγὴ δὲ ὁμοίωσις θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν. ὁμοίωσις δὲ δίκαιον καὶ ὅσιον μετὰ φρονήσεως γενέσθαι. [1])

Quaestio igitur existit, cuius vel quorum sit haec doctrina. Sophistas felicitatem hominum ad utilitatem rettulisse constat, sed istos Platoni ante oculos versatos esse nemo sibi persuadebit, cum tale quid toti scribendi rationi eius repugnet, Dubium non est, quin de adversario aequali cogitandum sit; investi-

[1]) cf. praeterea Phaedri p. 68 b. sqq. Reip. p. 500 b.

ganti autem, in quem quadrent decreta in hoc dialogo prolata, inter omnes aequales unum respiciendum fuisse Antisthenem haud difficulter apparebit.

Scimus Antisthenem arte se applicasse ad illam Socratis philosophiam, quae beate vivendi disciplinam continebat, eamque ob rem docuisse, summam philosophiam positam esse in felicitate, quam virtus sola praebeat; ut igitur beate vivamus, maxime adpetamus necesse esse scientiam.

Platonem in hoc sermone non suam sed Antisthenis doctrinam protulisse eo confirmatur, quod plures huius colloquii locos ad Antisthenicam originem referre posse mihi videor. In priore disputatione cum Clinia instituta Socrates, postquam divitias honores alia, quae bona putantur, nihil valere demonstravit ad felicitatem, concludit: ἡ σοφία ἄρα πανταχοῦ εὐτυχεῖν ποιεῖ τοὺς ἀνθρώπους· οὐ γὰρ δήπου ἁμαρτάνοι γ' ἄν ποτέ τι σοφία, ἀλλ' ἀνάγκη ὀρθῶς πράττειν καὶ τυγχάνειν. ἦ γὰρ ἂν οὐκέτι σοφία εἴη. [1]) Mirum est, quam absolute scientia dicatur prorsus errare non posse — hoc enim significare verbum ,εὐτυχεῖν' Bonitzius [2]) recte demonstravit. — Quod sine sausa fieri cum nemo sibi persuasurus sit, inde explicandum esse censeo, quod Plato Cynicorum disciplinam irrideat. Nam ipsi Cynici scientiam esse ἀναμάρτητον dixerunt et omni mentis subtilitate demonstrare studuerunt. Ubique presserunt, se solos sapientes esse, superiores fortuna, qui nunquam in errorem quendam incidere possent: v. Diog. Laert. VI. 105. ἀξιέραστόν τε τὸν σοφὸν καὶ ἀναμάρτητον καὶ φίλον τῷ ὁμοίῳ, τύχῃ δὲ μηδὲν ἐπιτρέπειν. — Stob. Eclog. II. 348. Διογένης ἔφη ὁρᾶν τὴν τύχην ἐνορῶσαν αὐτῷ καὶ λέγουσαν· τοῦτον δ'οὐ δύναμαι βαλέειν κύνα λυσσητῆρα. Multo superiores sunt reliquis mortalibus, imagines deorum,

---

[1]) v. p. 280 A.

[2]) v Plat. Stud. p. 98 adnot. 4.

quibuscum quasi aequis et paribus consuetudine coniuncti sunt: v. Diog. Laert. VI 51. τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας θεῶν εἰκόνας εἶναι. — Ibid. 37. τῶν θεῶν ἐστι πάντα· φίλοι δὲ οἱ σοφοὶ τοῖς θεοῖς· κοινὰ δὲ τὰ τῶν φίλων. πάντ' ἄρα ἐστὶ τῶν σοφῶν. Contra omnes ceteri homines insipientes atque stolidi sunt; v. Diog. Laert. VI 33. ἀναπήρους ἔλεγεν (sc. Διογένης) οὐ τοὺς κωφοὺς καὶ τυφλούς, ἀλλὰ τοὺς μὴ ἔχοντας πήραν. Apparet igitur, Platonem ut hanc Cynicorum superbiam derideret haec decreta tanto ut ita dicam tenore protulisse.

Postquam sapientiam vel scientiam ἀναμάρτητον esse statutum est, Socrates non sufficere demonstrat divitiarum aliorumque bonorum abundantiam, sed ut fructum aliquem ex iis hauriamus, recte illis uti sciamus oportere. Cum autem hanc recte utendi facultatem una scientia praebeat, nullam rem nisi scientiam pro summo bono habendam esse: v. p. 281 B. τί οὖν ἡμῖν συμβαίνει ἐκ τῶν εἰρημένων; ἄλλο τι ἢ τῶν μὲν ἄλλων οὐδὲν ὂν οὔτε ἀγαθὸν οὔτε κακόν, τούτοιν δὲ δυοῖν ὄντοιν ἡ μὲν σοφία ἀγαθόν, ἡ δὲ ἀμαθία κακόν; ὡμολόγει. Quod placitum non a Platone profectum esse cum ex Philebo, quo dialogo quid bonum sit agitur, tum ex illustri illo Reip. loco (p. 507 A – 509 C) certissime evadit. Neque enim idem valet scientia, ac bonum, sed multo inferior est dignitate. Ideá boni, quae pro summa habenda est omnium idearum, tanquam fons est, ex quo manarunt omnis scientia et essentia. Veluti sol, qui oculis ad omnes res cognoscendas lucem praebet, multo illis praestat, ita summum bonum animo omnium rerum scientiam expetenti cognitionem et veritatem adfert, quas quamvis praeclarae res putandae sint tamen longe superat: v. Reip. v. 508 E. τοῦτο τοίνυν, τὸ τὴν ἀλήθειαν παρέχον τοῖς γιγνωσκομένοις καὶ τῷ γιγνώσκοντι τὴν δύναμιν ἀποδιδόν, τὴν τοῦ ἀγαθοῦ ἰδέαν φάθι εἶναι, αἰτίαν δ' ἐπιστήμης οὖσαν καὶ ἀληθείας, ὡς γιγνωσκομένοις μὲν διὰ νοῦ, οὕτω δὲ καλῶν ἀμφοτέρων ὄντων γνώσεώς τε καὶ ἀληθείας, ἄλλο καὶ κάλλιον ἔτι

τούτων ἡγούμενος αὐτὸ ὀρθῶς ἡγήσει· ἐπιστήμην δὲ καὶ ἀλήθειαν, ὥσπερ ἐκεῖ φῶς τε καὶ ὄψιν ἡλιοειδῆ μὲν νομίζειν ὀρθόν, ἥλιον δὲ ἡγεῖσθαι οὐκ ὀρθῶς ἔχει, οὕτω καὶ ἐνταῦθα ἀγαθοειδῆ μὲν νομίζειν ταῦτ' ἀμφότερα ὀρθόν, ἀγαθὸν δὲ ἡγεῖσθαι ὁπότερον αὐτῶν οὐκ ὀρθόν, ἀλλ' ἔτι μειζόνως τιμητέον τὴν τοῦ ἀγαθοῦ ἕξιν. κτλ.

Quae cum ita sint, inquirendum est, cuius disciplinam Plato hoc loco ante oculos habuerit, et perscrutandum, num ipse de hac re certiores nos faciat. In Reip. VI p. 505, ubi disputat de idea boni, alios summum bonum in voluptate alios in cognitione posuisse tradit: ἀλλὰ μὴν καὶ τόδε γε οἶσθα, ὅτι τοῖς μὲν πολλοῖς ἡδονὴ δοκεῖ εἶναι τὸ ἀγαθὸν, τοῖς δὲ κομψοτέροις φρόνησις.[1]) Quin ‚κομψότεροι' intellegendi sint Antisthenes eiusque sectatores dubitatio non iam exstat, praesertim cum aliis locis, quibus Plato hoc verbo utitur, Antisthenes respiciendus fuerit.[2]) Ex quo consequitur, ut hic quoque Euthydemi locus, quem Platonis non esse supra demonstratum est, ad Antisthenem spectet; nam φρόνησιν idem valere atque σοφίαν vel ἐπιστήμην ex hoc dialogo ceterisque scriptis manifesto apparet: v. Euthyd. p. 218 B. ἆρ' οὖν ὦ πρὸς Διός, ἦν δ' ἐγώ, ὄφελός τι τῶν ἄλλων κτημάτων ἄνευ φρονήσεως καὶ σοφίας; vel p. 281 D. ἐὰν δὲ φρόνησίς τε καὶ σοφία, μείζω ἀγαθά. Mem. p. 980. ‚φρόνησις' usurpatum pro ‚ἐπιστήμη'. Conv. p. 202 A. eodem censu atque hoc loco ‚φρόνησις' oppositum est ‚ἀμαθία': μεταξὺ φρονήσεως καὶ ἀμαθίας.

Accedit quod tota de mediis bonis disputatio non Platonem sed Cynicos redolet. Antisthenes docuit, homines ut beati fierent nullius rei indigere nisi virtutis, quae satis firma esset, quod ab omni fortunae impetu eos defenderet; contra quae vulgo bona appellarentur non digna esse, quae adpeterentur, cum virtute absente hominibus magis nocerent quam prod-

---

1) v. p. 505 B.
2) v. Cratyl. p. 229 B. — Theaet. p. 202 C.

essent. Itaque nullum bonum esse nisi virtutem, nullum vitium nisi pravitatem; cetera omnia neutrius generis esse neque bona neque mala: v. Diog. Laert. VI. 105. τὰ δὲ μεταξὺ ἀρετῆς καὶ κακίας ἀδιάφορα λέγουσιν ὁμοίως Ἀρίστωνι τῷ Χίῳ. Hunc Aristonis locum, quem respicit Diogenes, accuratius expressum videmus apud Galenum[1]: ἐὰν οὖν τις τὸν θάνατον ἢ τὴν πενίαν ἢ τὴν νόσον ὡς κακὰ δεδιὼς ᾖ, δέον θαῤῥεῖν, ὡς ἐπὶ ἀδιαφόροις, ἐνδείᾳ μὲν ἐπιστήμης αὐτὸν τίθενται ἀγνοεῖν τἀληθές, ὡς ἂν Ἀρίστων τε καὶ Χρύσιππος εἴποι, κακίαν δὲ ἔχειν ψυχῆς, ἣν ὀνομάζουσι δειλίαν, ᾗ ἐναντίαν ἀρετὴν αὐτοί φασιν εἶναι τὴν ἀνδρείαν ἐπιστήμην οὖσαν ὧν χρὴ θαῤῥεῖν ἢ μὴ θαῤῥεῖν, τοῦτ᾽ ἔστιν ἀγαθῶν τε καὶ κακῶν τῶν ὄντως δηλονότι τοιούτων, οὐ κατὰ ψευδῆ δόξαν ὑπειλημμένων, οἷάπερ ἐστὶν ὑγίεια καὶ πλοῦτος καὶ νόσος καὶ πενία· τούτων γὰρ οὐδὲν οὔτε ἀγαθὸν οὔτε κακὸν εἶναί φασιν, ἀλλὰ ἀδιάφορα πάντα κτλ.

Apparet igitur priorem sermonis partem non refutandi causa scriptam sed in Antisthenis mentem disputatam esse; neque vero inest quicquam toti disputationi, quod illius doctrinae repugnet. Persimili ratione, qua hoc loco Socrates, Antisthenes discrepantiam, quae exstat inter ‚κτῆσις' et ‚χρῆσις', magnopere pressit: v. Epicteti dissert. III. 24. 68. ἐδίδαξέ με τὰ ἐμά, καὶ τὰ οὐκ ἐμά· κτῆσις οὐκ ἐμή. συγγενεῖς, οἰκεῖοι, φίλοι, φήμη, συνήθεις τόποι, διατριβή, πάντα ταῦτα ὅτι ἀλλότρια. — σὸν οὖν τί; — χρῆσις φαντασιῶν. ταύτην ἐδίδαξέ με ὅτι ἀκώλυτον ἔχω, κτλ. Luculenter de hac re disputavit Dio Chrysost. or. X. 17—22, quem Cynicorum vestigia pressisse satis notum est. Scimus praeterea Antisthenem omnes homines divisisse in sapientes et stolidos et sapientes solum bonos, ceteros omnes malos atque improbos appellasse. Optime denique in totam sententiam quadrat quod illum Cynicorum

---

[1]) v. de placitis Hippocratis et Platonis, rec. Iw. Müller VII. p. 597.

principem tres libros de educandis adulescentibus composuisse Diog. Laert. testatur. [1])

Ex sequenti disputatione apertum fit, Platonem hanc rationem eum in finem adhibuisse, ut ostenderet, quam vana esset doctrina Antisthenis, qui, etsi scientiam cum una adferret felicitatem, pro summo bono habendam eamque ab rem maxime adpetendam esse exposuit, ne demontrare quidem posset, qua re illa scientia contineretur. Hac de causa omnes definitiones a Socrate prolatas falsas esse demonstrat et eum, quippe cum quaestionem ad certum finem perducere nequeat, sophistis supplicantem facit, ut viam scientiam inveniendi sibi ostendant. Quod si tenemus facile quoque apparebit, cur tota disputatio in medio relinquatur. Plato enim tanquam fundamentum totius doctrinae statuit, omnem scientiam opus esse certam quandam rem proferre: vid. Reip. pag. 476 E. ὁ γιγνώσκων γιγνώσκει τὶ ἢ οὐδέν; σὺ οὖν μοι ὑπὲρ ἐκείνου ἀποκρίνου. — ἀποκρινοῦμαι, ἔφη, ὅτι γιγνώσκει τί. — πότερον ὂν ἢ οὐκ· ὄν; — ὄν. πῶς γὰρ ἂν μὴ ὄν γέ τι γνωσθείη. Contra Antisthenes in definienda scientia, quid illa efficeret, plane neglexit eamque ob causam saepe a Platone graviter vituperatur, veluti illo Reip. loco, quem ad Antisthenem spectare supra vidimus, deridentur κομψότεροι illi, qui cum ‚φρόνησιν' pro summo bono contendant habendam esse, tamen quid obiectum, ut ita dicam, huic cognitioni sit, enucleare non possint; tales homines denique in orbem semper se circumagentes cogi respondere, bonum esse cognitionem boni: ἀλλὰ μὴν καὶ τόδε γε οἶσθα, ὅτι τοῖς μὲν πόλλοῖς ἡδονὴ δοκεῖ εἶναι τὸ ἀγαθόν, τοῖς δὲ κομψοτέροις φρόνησις. — πῶς δὲ οὔ; — καὶ ὅτι γε, ὦ φίλε, οἱ τοῦτο ἡγούμενοι οὐκ ἔχουσι δεῖξαι ἥτις φρόνησις, ἀλλ' ἀναγκάζονται τελευτῶντες· τὴν τοῦ ἀγαθοῦ φάναι.

---

[1]) v. VI. 15. περὶ δικαιοσύνης καὶ ἀνδρείας προτρεπτικὸς πρῶτος διύτερος τρίτος.

Accedunt alia argumenta multo certiora: p. 289 B. οὐδέ γε εἴ τις ἔστιν ἐπιστήμη ὥστε ἀθανάτους ποιεῖν, ἄνευ τοῦ ἐπίστασθαι τῇ ἀθανασίᾳ χρῆσθαι οὐδὲ ταύτης, ὡς ἔοικεν, ὄφελος οὐδέν, εἴ τι δεῖ τοῖς πρόσθεν ὡμολογημένοις τεκμαίρεσθαι. Quae verba ad Antisthenem referenda esse certiores fimus ex Isocrat. or. ‚κατὰ τῶν σοφιστῶν', quam praecipue contra Cynicos compositam esse nemo nescit [1]): vid. § 4. καὶ λέγουσι μέν, ὡς οὐδὲν δέονται χρημάτων, ἀργυρίδιον καὶ χρυσίδιον τὸν πλοῦτον ἀποκαλοῦντες, μικροῦ δὲ κέρδους ὀρεγόμενοι μόνον οὐκ ἀθανάτους ὑπισχνοῦνται τοὺς συνόντας ποιήσειν.

§ 291 B. Socrates Critoni narrat, se et Cliniam cum diu frustraque inquisiverint, quaenam scientia potissimum expetenda sit, postremo statuisse artem regiam: ἐπὶ δὲ τὴν βασιλικὴν ἐλθόντες τέχνην καὶ διασκοπούμενοι αὐτήν, εἰ αὕτη εἴη τὴν εὐδαιμονίαν ἀπεργαζομένη, κτλ. Sed haec quoque definitio tam copiose refutatur, ut Platonem adversarium quendam respexisse apertum sit; nec vero dubito, quin iterum Antisthenes eiusque sectatores intellegendi sint, qui omnem disciplinam ad artem regiam revocarunt. Cynicus philosophus genuinus rex est, qui a Iove ipso imperium accepit ac unus omnium optime hominibus consulit. Deorum amicus est ab iisque missus, ut quae bona sint, quae mala eos edoceat et, ne in errorem incidant, tueatur: v. Epict. dissert. III 22, 23. εἶθ' οὕτω παρασκευασάμενον, οὐκ ἔστι τούτοις ἀρκεῖσθαι τὸν ταῖς ἀληθείαις Κυνικόν. ἀλλ' εἰδέναι δεῖ, ὅτι ἄγγελος ἀπὸ τοῦ Διὸς ἀπέσταλται πρὸς τοὺς ἀνθρώπους, περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν ὑποδείξων αὐτοῖς, ὅτι πεπλάνηνται καὶ ἀλλαχοῦ ζητοῦσι τὴν οὐσίαν τοῦ ἀγαθοῦ καὶ τοῦ κακοῦ, ὅπου οὐκ ἔστιν· ὅπου δ' ἔστιν, οὐκ ἐνθυμοῦνται.[2])

---

[1]) v. Überweg. Philolog. 1868, p. 175 sqq.

[2]) De imperio Cynicorum copiose ac luculenter disseruit Dio Chrysost. or. IV, p. 149 sqq.

Maxime denique confirmari mihi videtur haec argumentatio dubitatione illa Critonis, num omnino ut filii sui philosophiam edoceantur permittat, quae, si has disputationes veram Platonis[1]) doctrinam complecti censemus, prorsus explicari nequit, quae autem facile intellegitur, si placita ab adversario quodam prolata nullius pretii esse demonstratur.

Quibus rebus ita explicatis dubium esse non potest, quin ‚προτρεπτικός' qui dicitur ‚λόγος' neque ad Socratem neque ad Platonem referendus sit, sed ad unum Antisthenem. Quod ex Platonis ipsius verbis aperte evadit; nam ut taceam, omnibus locis, quibus vocabulis προτρέπειν vel προτρεπτικός utitur, haec irrisionis causa dicta esse, Socrates ipse se protrepticorum ignarum atque rudem esse fatetur et a sophistis, ut se et Cliniam eos doceant, precatur: τὸ μὲν ἐμόν, ἔφην, παράδειγμα, ὦ Διονυσόδωρέ τε καὶ Εὐθύδημε, οἷον ἐπιθυμῶ τὸν προτρεπτικὸν λόγον εἶναι, τοιοῦτον ἰδιωτικὸν ἴσως καὶ μόλις διὰ μακρῶν λεγόμενον· σφῷν δὲ ὁπότερος βούλεται, ταὐτὸν τοῦτο τέχνῃ πράττων ἐπιδειξάτω ἡμῖν.[2])

Ad eundem finem pervenit Hirzelius, qui in quaestione, quam in decimo Hermae tomo instituit: über den Protreptikos des Aristoles, unde λόγοι προτρεπτικοὶ originem acceperint, copiose disseruit (p. 69 sqq.). Optime demonstravit vir doctus, hoc dicendi genus a sophistis inventum et ab Antisthene, discipulo eorum, ad philosophiam translatum esse, sen-

---

[1]) Kunertus (quae inter Clitophontem dialogum et Platonis rempublicam intercedat necessitudo, Gryphisw. 1881 p. 12). Xenophontem vocabula ‚προτρέπεσθαι' et προάγειν ex Clitophonte sumpsisse contendit; sed nimis audacter de hac re diiudicasse mihi videtur, quoniam Antisthenes etiam in Euthydemo et in Isocrat. or. ‚κατὰ τῶν σοφιστῶν' persimili ratione increpatur: p. 291 C. οὗτοι τοίνυν εἰς τοῦτο τόλμης ἐληλύθασιν, ὥστε πειρῶνται πείθειν τοὺς νεωτέρους, ὡς . . . ἅ τε πρακτέον ἐστὶν εἴσονται καὶ διὰ ταύτης τῆς ἐπιστήμης εὐδαίμονες γενήσονται.

[2]) v. Euthyd. p. 282 D.

tentiamque suam multis et gravibus argumentis ita confirmavit, ut de hac re disputatione supersedere possim.

Jam vero ad alterum Krohnii argumentum transeamus, quo praecipue ei comprobari videtur, haec verba adulterina esse, Contendit enim, auctorem huius capitis ad Clitophontem dialogum spectare, quem a Platone alienum et multo post eius aetatem scriptum esse constet. Sed in hac quoque sententia longe ab eo dissentio. Sane concedo, hunc dialogum, ita ut traditus est, prorsus intellegi non posse; tamen hoc facile explicatur et excusatur, quod eum perfectum non esse primo obtutu apparet. Praeterea tota quae inest huic dialogo ratio et scribendi elegantia subtilisque irrisio tantopere Platonem produnt, ut eum spurium esse nullo modo mihi persuadere possim, immo omnia huic opinioni repugnare mihi videntur et imprimis illa huius sermonis cum Euthydemo similitudo.[1]) In utroque dialogo illi deridentur, qui quamquam se homines ad virtutem adhortari posse prae se ferunt, tamen ne norunt quidem scientiam, quae virtuti optime eos edoceat consulere et felicitatem adipisci. Quam ob rem me non ludere credam, si in Clitophonte etiam Cynicos respici coniciam, praesertim cum Kunertus[2]) illum Socratis discipulum qui iustitiam esse φιλίαν ἐν ταῖς πόλεσι ποιεῖν statueret, Antisthenem intellegendum esse haud male opinatus sit.

---

[1]) v. Diels. Abhandlungen d. Berliner Acad. d. W. phil. hist. Cl. 1887. p. 23.

[2]) Kunertus ll. quamquam Antisthenem respici arbitratur, tamen hunc dialogum spurium esse contendit. Sed argumenta quae profert prorsus non apta mihi videntur, quae nobis persuadere possint. Illum praeterea haud paucis locis magnopere errasse Schlottmannus (ars dialogorum componendorum quas vicissitudines apud Graecos et Romanos subierit, Rost. 1889) recte demonstravit.

Vides igitur tantum abesse, ut haec verba interpolatorem prodant, ut totum hunc locum ad Xenophontem referendum esse certissime nos doceant; nec vero doctrina quae exstat in hoc capite de diis a Xenophonte abhorret. Krohnius ut eam Stoicos redolere sibi fingeret, imprimis commotus est tribus locis: § 6. πρὸς δὲ τούτοις οὐ δοκεῖ σοι καὶ τάδε προνοίας ἔργοις ἐοικέναι, τό, ἐπεὶ ἀσθενής μέν ἐστιν ἡ ὄψις, βλεφάροις αὐτὴν θυρῶσαι. . . . . ταῦτα οὕτω προνοητικῶς πεπραγμένα ἀπορεῖς πότερα τύχης ἢ γνώμης ἔργα ἐστίν;

§ 8. σὺ δ' ἐν σαυτῷ φρόνιμόν τι δοκεῖς ἔχειν; — ἐρώτα γοῦν καὶ ἀποκρινοῦμαι. — ἄλλοθι δὲ οὐδαμοῦ οὐδὲν οἴει φρόνιμον εἶναι; καὶ ταῦτ' εἰδὼς ὅτι γῆς τε μικρὸν μέρος ἐν τῷ σώματι πολλῆς οὔσης ἔχεις καὶ ὑγροῦ βραχὺ πολλοῦ ὄντος καὶ τῶν ἄλλων δήπου μεγάλων ὄντων ἑκάστου μικρὸν μέρος λαβόντι τὸ σῶμα συνήρμοσταί σοι· νοῦν δὲ μόνον ἄρα οὐδαμοῦ ὄντα σε εὐτυχῶς πως δοκεῖς συναρπάσαι, καὶ τάδε τὰ ὑπερμεγέθη καὶ πλῆθος ἄπειρα δι' ἀφροσύνην τινὰ οὕτως οἴει εὐτάκτως ἔχειν; —

§ 17. οἴεσθαι οὖν χρὴ καὶ τὴν ἐν τῷ παντὶ φρόνησιν τὰ πάντα, ὅπως ἂν αὐτῇ ἡδὺ ᾖ, οὕτω τίθεσθαι, κτλ.

De primo et tertio loco disputatione opus non est; ineptissime enim ille iudicavit, cum alterum perverse interpretatus sit, altero codicum scripturam plane neglexerit.[1]) Maioris momenti videntur quae contra paragraphum octavam protulit, quam cum doctrina in Cyropaedia prolata pugnare contendit: v. VIII. 7. 20. διαλυομένου δὲ ἀνθρώπου δῆλά ἐστιν ἕκαστα ἀπιόντα πρὸς τὸ ὁμόφυλον πλὴν τῆς ψυχῆς. Nam cum illic Socrates animam humanam aeternam esse profiteatur omniumque rerum reginam, hic in medio relinqui, utrum illa, quoniam non habeat, quod sibi cognatum sit, simul cum corpore intereat an post mortem maneat. Sed haec discrepantia omnino non exstat; neque enim inest his verbis, animam nihil cognati habere, cum ‚ὁμόφυλον' non ad sequentia sed

[1]) v. Kunert. ll. p. 15.

ad antecedentia verba referendum sit, neque docet Cyrus, omnia praeter animam post mortem ad cognata elementa redire, sed apertum esse, omnia quae corporis sint, πρὸς τὸ ὁμόφυλον reverti, una de anima ut ad certum finem perveniamus fieri non posse, quippe quae nusquam oculis cernatur. Accedit quod locus minime eiusdem generis est. Nam ibi de nulla re nisi de immortalitate animi disseritur, in hoc capite autem corpus humanum siquidem animatum est, etiam corpus universi, ut ita dicam, animam habeat necesse esse demonstratur.

Restat quaestio, quomodo explicanda sit illa Xenophontis cum Stoicis similitudo. Krohnius mirabili qui exstat inter hunc locum et Ciceronis ‚de natura deorum'[1]) consensu adductus auctorem huius capitis Stoicorum opiniones adhibuisse demonstrare conatus est; nec vero quisquam sibi persuadebit, tale quid casu factum esse, cum omnia fere placita quae Socrates profert, a Cicerone Stoicis attribuantur. Sed a Krohnio discrepans hunc consensum ita explicandum esse censeo, ut Stoici illi, quos Cicero exscripsit, hanc doctrinam ex commentariis sumpserint vel iisdem auctoribus atque Xenopho usi sint. Scimus enim, Zenonem et praecipue discipulos eius, Persaeum et Cleanthem, Xenophontem imitatos esse multaque ex eius libris ad suam disciplinam transtulisse. Luculenter atque copiose de hac re Hirzelius[2]) disputavit, ut non opus sit, omnia vestigia, ubi Stoici Xenophontem persecuti sint, iterum me exponere. Unum liceat adferre, quo certissime comprobari mihi videtur, hoc caput non a Stoicis derivatum esse. Constat Zenonem eodem modo atque Xenophontem docuisse, mundum animatum esse et vi ac ratione gubernari; sed cum hic rationem a deo

---

[1]) v. II. § 78 sqq.

[2]) Untersuchungen zu Cicero's philos. Schriften II. p. 61 sqq.

accurate separet deique φρόνησιν rerum universitatem disposuisse eique semper consulere profiteatur, ille a Xenophonte longe dissentiens in philosophia ut ita dicam naturali nititur et rationem pro ipso deo habendam esse idemque valere atque ignem (τὸ πνεῦμα) statuit: v. Cic. de nat. deor. II. 22, 57: ‚Zeno naturam ita definit, ut eam dicat ignem esse artificiosum, ad gignendum progredientem via'.

Sed ut ad certum finem rem perducamus, inquiramus necesse est, quibus auctoribus Cicero usus sit. Quod sane difficile est diiudicatu. Neque enim sufficit, quod quem sequatur scriptorem exploremus, sed qua ratione scribat, quomodo quem sequendum sibi proposuerit exprimat observemus. [1]) Optime Usenerus demonstravit, Ciceronem libros Stoicorum neque perlegisse neque in viscera philosophiae eorum penetrasse, sed tantum ‚τὰ κεφάλαια' usurpavisse eaque ‚largiore stilo' persecutum esse. [2]) Quod verum esse cum Cicero ipse testatur: ‚apographa sunt, verba tantum adfero, quibus abundo', tum magna qua libri eius compositi sunt ignorantia et neglegentia. Itaque dubium mihi non videtur, quin Cicero in altero de nat. deor. libro, sicuti, ut deos esse explicet, ‚locos a Posidonio temere arreptos' cum Academica doctrina miscuerit, ita etiam, ut mundum ratione gubernari demonstraret, ad sententiam comprobandam Xenophontis commentarios, quos accurate eum perlegisse satis notum est, adhibuerit.

Consensus qui exstat inter Xenophontem et Aristotelis librum ‚de partibus animalium' facile inde explicatur, quod quae uterque protulit multo ante eorum tempora Ionici qui dicuntur philosophi

---

[1]) v. Usener, Epicurea in Prolegg. LXV. sqq.

[2]) Cum librum de officiis scripturus sit, ab Athenodoro Calvo petit, ut ad se ‚τὰ κεφάλαια' mittat (v. epist. ad Atticum XVI. 11, 4. 14, 4.)

in quaestionem vocaverant. Quamquam fieri non potest, ut quae illi docuerunt, accurate mente complectamur, hoc tamen ex paucis fragmentis pro certo affirmatur, quod multa de superiore hominum conditione eorumque cum diis similitudine disputaverunt. Aristot. ll. 687 a 7 et Xenopho I. 4, 14 testantur, Anaxagoram de manuum ratione ad usum accommodata disputasse sibique finxisse, in iis imprimis hominum de universo mundo imperium positum esse. Ad Diogenem Apolloniatem referendum videtur, quod deus homines ex omnibus animalibus solos fecerit erectos, ut caelum omniaque terrena spectarent neve humido qui e terra profflueret spiritu hausto morbis afficerentur.[1]) De hoc corporis statu etiam Plato nonnullis locis disseruit et simili ratione, qua Xenopho, ad deorum providentiam rettulit: v. Tim. p. 90 B. τὸ θεῖον . . . ὀρθοῖ πᾶν τὸ σῶμα. — Conv. p. 190 A. ἐπορεύετο δὲ καὶ ὀρθὸν ὥσπερ νῦν, ὁποτέρωσε βουληθείη. καὶ ὁπότε ταχὺ ὁρμήσειεν θεῖν, ὥσπερ οἱ κυβιστῶντες εἰς ὀρθὸν τὰ σκέλη περιφεράμενοι [κυβιστῶσι κύκλῳ], ὀκτὼ τότε οὖσι τοῖς μέλεσιν ἀπερειδόμενοι ταχὺ ἐφέροντο κύκλῳ.

Duemmlerus [Acad. p. 96 — 105] omnia vestigia accurate perscrutans scite sagaciterque demonstravit, totam de diis doctrinam ad Anaxagoram et Diogenem Apolloniatem referendam esse. Cum autem verisimile non esset, Xenophontem ipsum eorum philosophiam diligenter pertractasse, de tertio, quem secutus esset, statuit cogitandum esse eumque Antisthenem intellegendum, quoniam in Cratylo dialogo, quo Antisthenis placita a Platone derideri notum esset, et in Xenophontis commentariis eadem decreta invenirentur.[2]) Quocum congruit et recte nos

---

[1]) v. Duemmler Acad. p. 118 sqq.

[2]) Verisimile est Antisthenem in libro qui inscribitur ‚Φυσικός' de his rebus egisse.

iudicasse confirmat, quod initium totius capitis ad Antisthenem spectare supra vidimus. In eius sententiam praeterea optime quadrat, quod Xenopho de uno deo, qui omnia creaverit omniaque curet, loquitur. Scimus enim, illum docuisse, deos quos populos coleret lege institutos, natura autem unum esse, qui oculis cerni non posset neque ullius imagini similis esset: v. Philod. π. εὐσεβ. p. 92 Gomp. παρ' Ἀντισθένει δ' ἐν μὲν τῷ Φυσικῷ λέγεται τὸ κατὰ νόμον εἶναι πολλοὺς θεούς, κατὰ δὲ φύσιν ἕνα.[1]) Sed num Xenopho plane illum secutus sit omniaque, quae protulit, sine consilio receperit valde dubito: immo multa in hoc capite inveniri mihi persuasi, quae huic opinioni repugnent. Constat Cynicos sacra publica vehementer impugnasse deumque nulla re nisi virtute, quae nos similes ei faceret et amicos, bene recteque coli posse docuisse. Omnia quae homines facerent, ut benevolentiam deorum sibi acquirerent, vana ac perversa esse; nam deum neque sacrificiis egere neque templis, quae non sanctiora essent quam alii quidem loci: v. Jul. or. VI. p. 199 B. εἰ δέ, ὅτι μὴ προσῄει (sc. Διογένης) μηδὲ ἐθεράπευε τοὺς νεὼς μηδὲ τὰ ἀγάλματα μηδὲ τοὺς βωμούς, οἴεταί τις ἀθεότητος εἶναι σημεῖον, οὐκ ὀρθῶς νομίζει. Praeterea adfert ex Cratetis distichis:

Τῶν δὲ τυχὼν Ἑρμῆν καὶ Μούσας ἱλάσομ' ἁγνάς
Οὐ δαπάναις τρυφεραῖς, ἀλλ' ἀρεταῖς ὁσίαις.

Quam ob rem repudiabant omnia vota et oracula neque minus eos, qui deos quam qui vates precibus adibant, irridebant: v. Diog. Laert. VI. 24. ἔλεγε δὲ καὶ (sc. Διογένης) ὡς ὅτε μὲν ἴδοι κυβερνήτας ἐν τῷ βίῳ καὶ ἰατροὺς καὶ φιλοσόφους, συνετώτατον εἶναι τῶν ζῴων νομίζειν τὸν ἄνθρωπον· ὅτε δὲ πάλιν ὀνειροκρίτας καὶ μάντεις

---

[1]) Cicero (de nat. deor. I, 13, 32) hunc Philodemi locum falso interpretatus Antistheni crimini dat, quod vim et naturam deorum sustulerit.

καὶ τοὺς προσέχοντας τούτοις ἢ τοὺς ἐπὶ δόξῃ καὶ πλούτῳ πεφυσημένους, οὐδὲν ματαιότερον νομίζειν ἀνθρώπου.[1])

Quibuscum placitis si comparaveris quae Xenopho docet, tantum abesse tibi persuadebis, ut haec a Cynicis inconsiderate receperit, ut acriter ea impugnaverit et perfalsa esse statuerit: v. § 2. καταμαθὼν γὰρ αὐτὸν οὔτε θύοντα τοῖς θεοῖς οὔτε μαντικῇ χρώμενον, ἀλλὰ καὶ τῶν ποιούντων ταῦτα γελῶντα· εἰπέ μοι, ἔφη, etc. — § 9. Aristodemo num omnia quaecumque sunt vi ac ratione gubernentur dubitanti, quia deos non videat, Socrates respondet: οὐδὲ γὰρ τὴν σαυτοῦ σύγε ψυχὴν ὁρᾷς ἢ τοῦ σώματος κυρία ἐστίν· ὥστε κατά γε τοῦτο ἔξεστί σοι λέγειν, ὅτι οὐδὲν γνώμῃ, ἀλλὰ τύχῃ πάντα πράττεις. — § 10. Καὶ ὁ Ἀριστόδημος· οὔτοι, ἔφη, ὦ Σώκρατες, ὑπερορῶ τὸ δαιμόνιον, ἀλλ' ἐκεῖνο μεγαλοπρεπέστερον ἡγοῦμαι ἢ ὡς τῆς ἐμῆς θεραπείας προσδεῖσθαι eqs. Xenophonti certe persuasum esse, deos ab omnibus hominibus, qui eos neglegerent vel eorum praecepta contemnerent, poenas expetituros esse apertum fit ex Anab. II. 5, 7: πρῶτον μὲν γὰρ καὶ μέγιστον οἱ θεῶν ἡμᾶς ὅρκοι κωλύουσι πολεμίους εἶναι ἀλλήλοις· ὅστις δὲ τούτων σύνοιδεν αὑτῷ παρημεληκώς, τοῦτον ἐγὼ οὔποτ' ἂν εὐδαιμονίσαιμι. τὸν γὰρ θεῶν πόλεμον οὐκ οἶδα οὔτ' ἀπὸ ποίου ἂν τάχους οὔτε ὅποι ἄν τις φεύγων ἀποφύγοι οὔτ' εἰς ποῖον ἂν σκότος ἀποδραίη οὐθ' ὅπως ἂν εἰς ἐχυρὸν χωρίον ἀποσταίη. πάντῃ γὰρ πάντα τοῖς θεοῖς ὕποχα καὶ πανταχῇ πάντων ἴσον οἱ θεοὶ κρατοῦσι.

Vides igitur Xenophontem ita Antisthenis doctrinam adhibuisse, ut quae ei placerent, in commentarios insereret, quae autem ei probanda non viderentur, refutaret et in absurdum duceret. Quae res magni momenti est ad Memorabilia recte intellegenda,

---

[1]) Eiusdem sententiae est Zellerus (Philos. d. Gr. II. 1. p. 328), quia Plato in Conv. p. 173 B. Aristodemum eandem fere de diis doctrinam confessum esse atque Antisthenem nos docet.

cum et ea, quae Xenopho ad Socratem rettulit, ficta esse et quid scribendis iis revera efficere voluerit, certissime ex ea appareat. Neque enim id solum sibi proposuit, ut quae ex magistri disciplina memoria tenuisset, in lucem proferret, sed imprimis ut homines doceret iisque suam doctrinam Socraticam esse persuaderet, Qua de causa Antisthenem adiit, qui unus ex omnibus Socraticis integram principis philosophiam servasse ei videbatur eiusque quaestionibus nixus suam exstruxit disciplinam.[1])

Artissime cum hoc capite cohaeret IV. 3. Sed hoc quoque Krohnius iisdem rebus, quas a Xenophonte alienas esse supra demonstrasse sibi finxit, commotus adulterinum esse statuit. Nova quae ad-

---

[1]) Xenophontem non ex memoria Socratis sermones composuisse sed aliis auctoribus usum esse comprobare videntur verba Mem. I. 4, 13. ποία δὲ ψυχὴ τῆς ἀνθρωπίνης ἱκανωτέρα προφυλάττεσθαι ἢ λιμὸν ἢ δίψος . . . . ἢ ὅσα ἂν ἀκούσῃ ἢ ἴδῃ ἢ μάθῃ ἱκανωτέρα ἐστὶ διαμεμνῆσθαι, quae ad Heraclitum spectare videntur. Hippol. Refut. IX 9 enim tradit, illum docuisse: ὅσων ὄψις ἀκοὴ μάθησις ταῦτα ἐγὼ προτιμέω, v. Hirzel. Cic. phils. Schr. II. 1 p. 166.

Post Krohnium hoc caput spurium esse nuper contendit Hartmannus (Anal. Xen. p. 143). Sed ipse nova vitia non adfert nisi unum ‚tam absurdum et ridiculum, ut ab ipso Xenophonte commissum esse', sibi persuadere non possit. ‚Rogatus enim Aristodemus, utri magis laudandi et admiratione digni sint, qui εἴδωλα ἔμφρονα καὶ ἀκίνητα faciant, an qui ζῷα ἔμφρονά τε καὶ ἔνεργα, respondet: πολὺ νὴ Δία οἱ ζῷα, εἴπερ γε μὴ τύχῃ τινὶ ἀλλὰ ὑπὸ γνώμης ταῦτα γίγνεται. Quis enim credat Xenophontem tam omnis elegantiae vel potius sanae mentis expertem fuisse, ut τοὺς τέκνα γεννῶντας diceret τύχῃ τινὶ ζῷα ἔμφρονα ποιεῖν?' Attuli hunc locum, ut videas, qua ratione usus vir doctus Xenophontis scripta interpretetur et arma sibi paret, ut ea impugnare possit. Nam opus non esse credo me demonstrare, illos, qui ζῷα ἔμφρονά τε καὶ ἐνεργά faciunt, non intellegendos esse τοὺς τέκνα γεννῶντας, sed deum ipsum vel τὸν ἐξ ἀρχῆς ποιοῦντα ἀνθρώπους (§ 5).

didit argumenta tam levia ac caduca sunt, ut vix digna sint, quae refellantur.

Ac primum quidem contendit, verba, quae in paragr. 1 leguntur: τὸ μὲν οὖν λεκτικοὺς καὶ πρακτικοὺς καὶ μηχανικοὺς γίγνεσθαι τοὺς συνόντας οὐκ ἔσπευδεν, ἀλλὰ πρότερον τούτων ᾤετο χρῆναι σωφροσύνην αὐτοῖς ἐγγενέσθαι pugnare cum Mem. I 2, 17: ἴσως οὖν εἴποι τις ἂν πρὸς ταῦτα ὅτι ἐχρῆν τὸν Σωκράτη μὴ πρότερον τὰ πολιτικὰ διδάσκειν τοὺς συνόντας ἢ σωφρονεῖν, quia ex iis apparere videretur, Socratem priusquam discipulos moderationem docuisset, de re publica administranda eos instituisse. Sed totam Krohnii sententiam in perversa interpretatione positam esse Kunertus (p. 17) rectissime demonstravit. Neque enim significat ἴσως οὖν . . . . σωφρονεῖν: ‚non debebat Socrates rationem civilem docere, antequam moderationem docuisset, sed antequam moderati redditi essent adulescentes‘.

Socrates ut Euthydemo de providentia deorum persuaderet, eum illos statuisse docuit, cum homines ex diuturno labore quietis indigerent, ut diem subsequeretur nox eaque, ut quae opus essent, perficerent, stellis collustraretur: § 4. οὐκοῦν καὶ ἐπειδὴ ὁ μὲν ἥλιος φωτεινὸς ὢν τάς τε ὥρας τῆς ἡμέρας ἡμῖν καὶ τἆλλα πάντα σαφηνίζει, ἡ δὲ νὺξ διὰ τὸ σκοτεινὴ εἶναι ἀσαφεστέρα ἐστίν, ἄστρα ἐν τῇ νυκτὶ ἀνέφηναν, ἃ ἡμῖν τῆς νυκτὸς τὰς ὥρας ἐμφανίζει, καὶ διὰ τοῦτο πολλὰ ὧν δεόμεθα πράττομεν; — ἔστι ταῦτα, ἔφη. — Concedo hanc periodum non bene compositam esse, sed qui inest his verbis sensus falso intellegi non potest. Krohnii vitium est, quod verba ‚ἄστρα ἐν τῇ νυκτὶ ἀνέφηναν‘ ad priorem periodi partem ‚ἐπειδὴ ὁ μὲν ἥλιος . . . πάντα σαφηνίζει‘ rettulit eamque ob causam pro ‚ἀσαφεστέρα‘ legi voluit ‚ἀσαφής‘. Sed haec coniectura ineptissima est et totius loci sensum plane depravat. Neque enim valent haec verba: quia sol horas diei disponit ceteraque omnia perspicua reddit, sidera lucent, sed quoniam per diem sol luce sua cuncta illustrat, nox, quippe quae nimis

obscura sit, quam ut horas disponere possit, stellis collustratur.

§ 8. τὸ δὲ τὸν ἥλιον, ἐπειδὰν ἐν χειμῶνι τράπηται, προσιέναι τὰ μὲν ἁδρύνοντα, τὰ δὲ ξηραίνοντα, ὧν καιρὸς διελήλυθε, καὶ ταῦτα διαπραξάμενον μηκέτι ἐγγυτέρω προσιέναι, ἀλλ' ἀποτρέπεσθαι φυλαττόμενον μή τι ἡμᾶς μᾶλλον τοῦ δέοντος θερμαίνων βλάψῃ καὶ ὅταν αὖ πάλιν ἀπιὼν γένηται, ἔνθα καὶ ἡμῖν δῆλόν ἐστι ὅτι, εἰ προσωτέρω ἄπεισιν, ἀποπαγησόμεθα ὑπὸ τοῦ ψύχους, πάλιν αὖ τρέπεσθαι καὶ προσχωρεῖν, καὶ ἐνταῦθα τοῦ οὐρανοῦ ἀναστρέφεσθαι ἔνθα ὢν μάλιστ' ἡμᾶς ὠφελοίη; Krohnius tantam de cursu solis eiusque effectu sententiam non Socrati vel Xenophonti, sed demum Stoicis vindicari posse arbitratur: „Jene polarischen und tropischen Wirkungen, die aus den wechselnden Verhältnissen von Sonnenbahn und Zone resultieren, führen auf Erweiterungen in astronomischer und geographischer Kunde, die dem Socrates noch fern lagen, dem Posidonius . . . . aber wohl bekannt gewesen sind.“ Sed duplici errore captus est; neque enim Socrates accurate describit lineam, qua sol cursum circum terram agit neque causas, quibus calor et frigus nascuntur, sed tantum de vicissitudinibus anniversariis loquitur, quae hominum causa a diis providenter institutae sint, ne post calorem subito nascatur frigus et post frigus subito calor, sed ‚ut et calor et frigus sensim augeatur et minuatur‘.[1]) Neque saeculi quinti et quarti Graeci in Homeri de caelo sententia perseverabant, sed multo accuratius in siderum studio versabantur deque cursu eorum cognitionem multo maiorem tenebant. De solstitiis v. Herod. II. § 24. τὴν χειμερινὴν ὥρην ἀπελαυνόμενος ὁ ἥλιος ἐκ τῆς ἀρχαίης διεξόδου ὑπὸ τῶν χειμώνων ἔρχεται τῆς Λιβύης τὰ ἄνω.

---

[1]) v. Cyrop. VI 2, 29. ἡ γὰρ κατὰ μικρὸν παράλλαξις πᾶσαν ποιεῖ φύσιν ὑποφέρειν τὰς μεταβολάς· διδάσκει δὲ καὶ ὁ θεός, ἀπάγων ἡμᾶς κατὰ μικρὸν ἐκ τοῦ χειμῶνος εἰς τὸ ἀνέχεσθαι ἰσχυρὰ θάλπη ἐκ τοῦ θάλπους εἰς τὸν ἰσχυρὸν χειμῶνα.

§ 25. πρηϋνομένου δὲ τοῦ χειμῶνος ἀπέρχεται ὁ ἥλιος ἐς μέσον τὸν οὐρανὸν ὀπίσω, καὶ τὸ ἐντεῦθεν ἤδη ὁμοίως ἀπὸ πάντων ἕλκει τῶν ποταμῶν .... αἴτιος δὲ ωὐτὸς οὗτος κατὰ γνώμην τὴν ἐμὴν καὶ τὸν ἠέρα ξηρὸν τὸν ταύτῃ εἶναι, διακαίων τὴν διέξοδον ἑωυτοῦ. v. etiam Plat. Legg. VI 767 C; XII 945 D.

§ 10. πολὺ δὲ γένος ἀνθρώπων τοῖς μὲν ἐκ τῆς γῆς φυομένοις εἰς τροφὴν οὐ χρῆται, ἀπὸ δὲ βοσκημάτων γάλακτι καὶ τυρῷ καὶ κρέασι τρεφόμενοι ζῶσι· πάντες δὲ τιθασεύοντες καὶ δαμάζοντες τὰ χρήσιμα τῶν ζῴων εἴς τε πόλεμον καὶ εἰς ἄλλα πολλὰ συνεργοῖς χρῶνται. Absurdum est, ex his verbis conicere, auctorem Pori et Pyrrhi expeditiones novisse. Nam ut concedam, verba ‚εἴς τε πόλεμον' non solum ad equites sed etiam ad elephantos referenda esse, quid, quaero, nos cogit de Poro vel alio quodam cogitare? Nonne notum est multo ante Pori aetatem Indos elephantis ad bellum gerendum usos esse? an verisimile est, Xenophontem, qui in arte militari multum versatus erat et multarum gentium belli gerendi rationes cognoverat, huius rei imperitum fuisse? Vix credam, praesertim cum Ctesias, cuius libros bene noverat, multis locis commemorasset, reges Indorum plurimos elephantos ad terrorem in bello incutiendum praeclare exornatos habuisse: v. Ctes. frg. ap. Müller. p. 28 a. πυνθανομένη δὲ (sc. Σεμίραμις) τὸ τῶν Ἰνδῶν ἔθνος μέγιστον εἶναι τῶν κατὰ τὴν οἰκουμένην καὶ πλείστην τε καὶ καλλίστην χώραν νέμεσθαι, διενοεῖτο στρατεύειν εἰς τὴν Ἰνδικήν, ἧς ἐβασίλευσε μὲν Σταβροβάτης κατ' ἐκείνους τοὺς χρόνους, στρατιωτῶν δ' εἶχεν ἀναρίθμητον πλῆθος, ὑπῆρχον δ' αὐτῷ καὶ ἐλέφαντες πολλοὶ καθ' ὑπερβολὴν λαμπρῶς κεκοσμημένοι τοῖς εἰς τὸν πόλεμον καταπληκτικοῖς. cf. p. 29 a. 80 a. 88 a, b.

§ 12. τὸ δὲ καὶ ἑρμηνείαν δοῦναι, δι' ἧς πάντων τῶν ἀγαθῶν μεταδίδομέν τε ἀλλήλοις διδάσκοντες καὶ κοινωνοῦμεν καὶ νόμους τιθέμεθα καὶ πολιτευόμεθα; Krohnius haec verba in dubitationem vocavit, quia vocabulum ‚ἑρμηνεία' a Xenophonte alienum esset. Quod quamquam recte

vidit, tamen nos offendere non potest, immo cum consilio Xenophontem hoc loco ἑρμηνείαν scripsisse coniciam.[1]) Neque enim hoc verbum idem significat atque ὁ λόγος, sed sensum multo accuratiorem habet. Oppositum est ‚τῷ λογισμῷ' i. e. animi considerationi et simili ratione a Gorgia usurpatum videtur: vid. Periclis or. ap. Thuc. II 60, 4. καίτοι ἐμοὶ τοιούτῳ ἀνδρὶ ὀργίζεσθε, ὃς οὐδενὸς οἴομαι ἥσσων εἶναι γνῶναί τε τὰ δέοντα καὶ ἑρμηνεῦσαι ταῦτα, φιλόπολίς τε καὶ χρημάτων κρείσσων. — cf. Mem. I 2, 5. μόνους δὲ φάσκειν αὐτὸν ἀξίους εἶναι τιμῆς τοὺς εἰδότας τὰ δέοντα καὶ ἑρμηνεῦσαι δυναμένους. Oec. XI 23 (v. Thuc. ed. K. W. Krüger p. 224 in adnot. 4).[2])

II.

Quibus refutatis iam non singula Krohnii argumenta omnia in quaestionem vocabo, sed gravissima tantum reicere conabor simulque demonstrare, ea capita, quae ille a Xenophonte abiudicavit, ab hoc scripta sint necesse esse.

Magna discrepantia stat inter viros doctos, quomodo explicanda sit memorabilis illa de Critia et Alcibiade narratio (Mem. I 2, 12—48). Krohnius hoc caput inde a § 29 usque ad finem adulterinum esse statuit, cum ingenio Xenophontis indignum esset neque fieri posset, ut ille, qui per multos annos Athenis afuisset, has singulas res memoria tenuisset: „Denn wir kennen ein Beharrungsvermögen

---

[1]) Hoc magister meus Ed. Schwartz me docuit.

[2]) cf. Plat. Theaet. p. 209 A. λόγος δέ γε ἦν τῆς σῆς διαφορότητος ἑρμηνεία. — Rep. VII p. 524 B. καὶ γάρ, ἔφη, αὗταί γε ἄτοποι τῇ ψυχῇ αἱ ἑρμηνεῖαι καὶ ἐπισκέψεως δεόμεναι.

für Gedanken und Thatsachen, Zahlen und Namen, aber nicht für Geschwätz." Optime! Sed quid nos impedit, quominus Xenophontem scriptis aliorum hominum usum esse opinemur? Nonne ita omnes difficultates facillime solvuntur?

Atque Xenopho ipse nos de hac re in dubio non reliquit. Ut Atheniensibus Socratem adulescentes non corrupisse persuaderet neque ei crimini dari posse, quod Critias et Alcibiades rei publicae magnum detrimentum intulissent, refutanda ei erat sententia a multis ‚τῶν φασκόντων φιλοσοφεῖν' prolata fieri non posse, ut qui iustus esset, fieret iniustus: v. Mem. I 2, 19. ἴσως οὖν εἴποιεν ἂν πολλοὶ τῶν φασκόντων φιλοσοφεῖν ὅτι οὐκ ἄν ποτε ὁ δίκαιος ἄδικος γένοιτο, οὐδὲ ὁ σώφρων ὑβριστής, οὐδὲ ἄλλο οὐδὲν ὧν μάθησίς ἐστιν ὁ μαθὼν ἀνεπιστήμων ἄν ποτε γένοιτο.

Zellerus (ll. II 1 p. 226, 1) hunc locum spectare vidit ad Antisthenem, qui virtutem ‚δι' ἀσκήσεως καὶ μαθήσεως παρεσκευασμένην' nullo modo amitti posse credidit: v. Diog. Laert. VI 12. ἀναφαίρετον ὅπλον ἡ ἀρετή. 13. τεῖχος ἀσφαλέστατον φρόνησιν· μήτε γὰρ καταρρεῖν μήτε προδίδοσθαι. Pergit Xenopho, Socratem se innocentem fuisse, ipsum aperte demonstrasse, cum Critiam et Charmidem, duces triginta tyrannorum propter pravitatem et iniustitiam acerbe vituperasset itaque odium eorum in se convertisset. Quos cum multos cives minime improbos supplicio afficere et alios ut iniusta facerent adhortari videret, eum interrogasse, num mirabile esset, si quis boum pastor gregem depravaret vel si quis praefectus urbis creatus cives corrumperet et improbos faceret, quod ipse se improbum esse non fateretur? Mem. I 2, 32: ἐπεὶ γὰρ οἱ τριάκοντα πολλοὺς μὲν τῶν πολιτῶν καὶ οὐ τοὺς χειρίστους ἀπέκτεινον, πολλοὺς δὲ προετρέποντο ἀδικεῖν, εἶπέ που ὁ Σωκράτης ὅτι θαυμαστόν οἱ δοκοίη εἶναι, εἴ τις γενόμενος βοῶν ἀγέλης νομεὺς καὶ τὰς βοῦς ἐλάττους τε καὶ χείρους ποιῶν μὴ ὁμολογοίη κακὸς βουκόλος εἶναι, ἔτι δὲ θαυμαστότερον, εἴ

τις προστάτης γενόμενος πόλεως καὶ ποιῶν τοὺς πολίτας ἐλάττους τε καὶ χείρους μὴ αἰσχύνεται μηδ' οἴεται κακὸς εἶναι προστάτης τῆς πόλεως.[1])

Eadem boum pastoris cum imperatore comparatio invenitur in Plat. Politico (p. 267 C — 275 C), quem locum ad Antisthenem referendum esse Zellerus docuit. Quod verum esse certus auctor est Onesicritos Cynicus, cuius sermo, quem habuit cum Indicis gymnosophistis de optima vivendi ratione nobis traditus est ap. Strab. XV p. 715.[2]) Verbotenus fere haec narratio cum Platonis consentit. In utraque civitas perfectissima, quam Cynici sibi fingebant, describitur: Antisthenes eiusque sectatores reiciunt omnes leges et tantum vita secundum naturam directa homines ad virtutem perduci arbitrantur; contemnunt omnes respublicas, volunt omnia communia esse et homines vesci frugibus, quas inculta terra sua sponte effundat (v. Politic. 272 A). Eleganter dissimulato ludibrio deridet Plato hanc vitam omni eruditione vacuam, quam isti homines a diis pasti degunt. Ab ipso Saturno culti multo otio fruuntur et tam cum hominibus quam cum bestiis familiari consuetudine coniuncti de philosophia colloquuntur et scientiam suam augent. Tantum aberat ut Plato hanc civitatem perfectissimam Cynicorum probaret, ut suibus aptam eam appellaret: καὶ ὅς, εἰ δὲ ὑῶν πόλιν, ἔφη, κατεσκεύαζες, τί ἂν αὐτὰς ἄλλο· ἢ τοῦτο ἐχόρταζες.[3])

Cur Cynici homines cum bestiis comparaverint, testis est Dio Chrysost. or. VI. p. 203 R. sqq.[4])

---

[1]) v. Phil. d. Gr. II 1 p. 278, adnot. 4.

[2]) cf. Ed. Schwartz, Hecataeus v. Teos, Rh. Mus. 40 p. 252 sqq.

[3]) v. Reip. II p. 372 D.

[4]) v. E. Weber: de Dione Chrysostomo, Cynicorum sectatore, Leipz. Stud. 1888 p. 6 sqq.

Pecudes exempla nobis praebent, quomodo optime κατὰ φύσιν vivamus. Quae liberae sunt omnibus curis, vescuntur iis fructibus, quos natura ultro eis offert, bibunt aquam ex fontibus, pascuntur viridi fronde arborum. Noverunt nullam luxuriam, nullas vestes nisi quas deus ipse eis dedit quaeque satis praesidii contra frigus et calorem praebent. Itaque homines, si ad veram felicitatem perduci volunt et diis similes fieri, eas imitari debent: καὶ μάλιστα ἐμιμεῖτο τῶν θεῶν τὸν βίον (p. 208 R.).

Dubium igitur esse nequit quin haec comparatio hominum cum grege boum non a Socrate originem acceperit, sed potius ab Antisthene adhibita et a Xenophonte recepta sit.

Neque minus offendit interpretes sermo ille Alcibiadis cum Pericle tutore habitus (Mem. I. 2, 41–46). Et recte offenderunt viri docti. Neque enim fieri potest, ut primo obtutu intellegamus, quid Xenopho hac disputatione efficere voluerit vel quem conexum cum tota narratione habeat. „Ein grosser Staatsmann", inquit Krohnius, „der in seiner Jugend selbst Meister der Disputation gewesen sein will, soll sich mit allem Geist, aller Erfahrung in seinem Fache von einem Jüngling schlagen lassen? Die Erfindung ist geschmacklos und unnatürlich". Sed etiam hoc loco Krohnius celerius iudicasse mihi videtur. Agitur de quaestione, quid sit ‚νόμος'. Quod ut cognosceret, Alcibiades Periclem, virum reipublicae regendae peritissimum, adiit. Sed ne ab hoc quidem de hac re edocetur; nam ipse eum definitionem quam statuerat: πάντες . . . . οὗτοι νόμοι εἰσίν, οὓς τὸ πλῆθος συνελθὸν καὶ δοκιμάσαν ἔγραψε, revocare cogit et confiteri, ea, quae legislator, antequam populo persuaserit, instituerit, pro lege non habenda, immo ei contraria esse. Μάλα τοι, pergit Xenopho, φάναι τὸν Περικλέα, ὦ Ἀλκιβιάδη, καὶ ἡμεῖς τηλικοῦτοι ὄντες δεινοὶ τὰ τοιαῦτα ἦμεν· τοιαῦτα

γὰρ καὶ ἐμελετῶμεν καὶ ἐσοφιζόμεθα οἷάπερ καὶ σὺ νῦν ἐμοὶ δοκεῖς μελετᾶν.

Simili ratione haec quaestio tractatur et ad absurdum ducitur in Plat. Politic. p. 291—297, neque dubium videtur, quin Plato et Xenopho certum consilium persecuti sint. Plato accurate disserit, utrum reipublicae, quae scienter prudenterque regatur, leges opus sint necne. Leges regulas esse, quae omnibus civibus idem valeant. Quod quidem malum esse, quippe cum homines, alter alteri, dissimiles sint, neque ulla communis regula singulis aequo modo apta esse possit; sed leges ita se habere ut ,παιδοτρίβην', qui multos discipulos habeat. Neque enim talem efficere posse, ut unumquemque discipulum quae corpori eius apta sint edoceat, sed omnes necesse esse eosdem labores in currendo et luctando subeant, neque legislatorem, ut singulis civibus singulas res praescribat. Leges igitur pro necessario malo habendas esse, quod nullo modo evitari possit. Acriter autem repugnat sententiae eorum, qui, si quis meliora quam leges sciat, haec non prius valere dicant, quam legislator civibus persuaserit: φασὶ γὰρ δὴ δεῖν εἴ τις γιγνώσκει παρὰ τοὺς τῶν ἔμπροσθεν βελτίους νόμους, νομοθετεῖν τὴν ἑαυτοῦ πόλιν ἕκαστον πείσαντα, ἄλλως δὲ μή. — τί οὖν, οὐκ ὀρθῶς; — ἴσως. ἂν δ'οὖν μὴ πείθων τις βιάζηται τὸ βέλτιον, ἀπόκριναι, τί τοὔνομα τῆς βίας ἔσται; μή μέντοι πω, περὶ δὲ τῶν ἔμπροσθεν πρότερον.[1]) Nam scientes reipublicae utiles esse non posse arbitratur nisi eis semper ubique quae incommoda esse cognoverint reicere liceat, quoniam medicus ex aegrotis non quaerat, num ea, quae corpori apta esse ducat, ut faciat sibi permittant. Quamvis autem hanc sententiam probet, tamen infirmitate humanae naturae commotus talem potestatem imperatoris saepius perniciei quam commodo civibus futuram esse fatetur,

---

[1]) Politic. p. 296 A.

cum ille potestate sua non raro abutatur neque saluti reipublicae consulat, sed suis ipsius commodis serviat. Itaque melius esse, leges retineri, quippe quae a viris artis politicae peritis scriptae sint: παρὰ γὰρ οἶμαι τοὺς νόμους τοὺς ἐκ πείρας πολλῆς κειμένους καί τινων ξυμβούλων ἕκαστα χαριέντως ξυμβουλευσάντων καὶ πεισάντων θέσθαι τὸ πλῆθος, ὁ παρὰ ταῦτα τολμῶν δρᾶν, ἁμαρτήματος ἁμάρτημα πολλαπλάσιον ἀπεργαζόμενος, ἀνατρέποι πᾶσαν ἂν πρᾶξιν ἔτι μειζόνως τῶν ξυγγραμμάτων.[1] Ut videas, quam necessarias leges esse Plato sibi persuaserit, Critonem dialogum (p. 50—54) in memoriam revoces, ubi, quamquam magister carissimus ex iis interfectus est, plane tamen eas probat.

A Duemmlero Antisth. p. 3 sqq. bene demonstratum est, Platonem et Antisthenem ‚de summis philosophiae civilis capitibus' consensisse; sed quomodo haec respublica, qua homines ad veram felicitatem perducerentur, statuenda esset, valde dissenserunt. Qua ratione Antisthenes perfectissimam civitatem sibi finxerit quaque ironia ob eam a Platone illusus sit, supra iam vidimus. Etiam hoc loco Platonem ad Antisthenis disciplinam spectare censeam. Cum ille leges necessarias esse confiteatur, Cynicus sapiens eas prorsus reicit: v. Diog. Laert. VI. 11. τὸν σοφὸν οὐ κατὰ τοὺς κειμένους νόμους πολιτεύεσθαι, ἀλλὰ κατὰ τὸν τῆς ἀρετῆς. Nam legem contrariam esse naturae, quae sola nobis felicitatem praebeat: v. Diog. Laert. VI 38. ἔφασκε (sc. Διογένης) δ' ἀντιτιθέναι τύχῃ μὲν θάρσος, νόμῳ δὲ φύσιν. — Aristot. Polit. I 13 p. 1284 a 15. καὶ γὰρ γελοῖος ἂν εἴη νομοθετεῖν τις πειρώμενος κατ' αὐτῶν· λέγοιεν γὰρ ἂν ἴσως ἅπερ Ἀντισθένης ἔφη τοὺς λέοντας· δημηγορούντων τῶν δασυπόδων καὶ τὸ ἴσον ἀξιούντων πάντας ἔχειν. Optime praeterea illustrat hanc Cynicorum sententiam Julian. or. VI p. 193 D. τῆς Κυνικῆς δὲ φιλοσοφίας σκοπὸς μέν ἐστι καὶ τέλος, ὥσπερ δὴ

[1]) Politic. p. 300 B.

καὶ π. σης φιλοσοφίας, τὸ εὐδαιμονεῖν ἐν τῷ ζῆν κατὰ φύσιν, ἀλλὰ μὴ πρὸς τὰς τῶν πολλῶν δόξας. Is solum, qui omnibus legibus liber secundum naturam vivit, revera liber et felix est. Cynicus sapiens rex est huius civitatis in natura positae, pastor, qui gregi suo omni modo consulit, medicus, qui homines ab aegritudine liberat.[1]) Divus tanquam est, cui Iupiter ipse regnum tradidit: v. Dio Chrysost. or. IV p. 151 R. Qui vulgo reges appellantur revera nihil aliud nisi servi sunt et digni, quos acerbissime persequamur. De hoc Cynicorum imperio cf. Dio. Chrysost. IV. p. 149[2]): Alexandro πῶς ἂν κάλλιστα βασιλεύοι interroganti Diogenes respondet, unum ex omnibus sapientem regem esse et a Jove institutum, cum liber sit omnibus libidinibus et laboribus, non eum, qui πολλὰ διαδήματα καὶ σκῆπτρα καὶ τιάρας habeat. Verus rex cum apium regina comparatur. Ut haec non propter nobilitatem generis, sed a natura ipsa imperatrix facta, ita unicuique regi genuino signum a natura impressum est. Ut apium regina una ex omnibus aculeo caret nec ipsa se defendere potest, ita non is pro rege habendus est, qui armis sed qui scientia ornatus est: μὴ οὖν πρότερον, ὦ μάταιε, βασιλεύειν ἐπιχείρει, πρὶν ἢ φρονῆσαι p. 162 R (v. E. Weber ll. p. 159).

---

[1]) Ad Antisthenem quoque referenda mihi videtur Theaet. p. 174 D. τύραννόν τε γὰρ ἢ βασιλέα ἐγκωμιαζόντων ἕνα τῶν νομέων, οἷον συβώτην ἢ ποιμένα ἤ τινα βουκόλον ἡγεῖται ἀκούειν εὐδαιμονιζόμενον πολὺ βδάλλοντα. Quid? Num manifestius Cynici significari possunt? Ex omni fere verbo Platonis acerba irrisio elucet, quae quidem bene intellegi non potest nisi quis Platoni ante oculos versatus sit cognitum est. Duemmlerus Acad. p. 62. Platonem haec verba statuit scripsisse, ut Isocratem ulcisceretur, qui eum or. πρὸς Νικοκλέα aggressus esset: § 12. μηδὲ καταγνῷς τῶν ἀνθρώπων τοσαύτην δυστυχίαν, ὡς περὶ μὲν τὰ θηρία τέχνας εὑρήκαμεν, αἷς αὐτῶν τὰς ψυχὰς ἡμεροῦμεν καὶ πλείονος ἀξίας ποιοῦμεν, ἡμᾶς δ' αὐτοὺς οὐδὲν ἂν πρὸς ἀρετὴν ὠφελήσαιμεν.

[2]) v. E. Weber ll. p. 154 sqq.

Quam sententiam ab Antisthene statutam esse certus testis est Plato, qui divinum eius imperium acerbe cavillatur: v. Politic. p. 275 C. οἶμαι δέ γ', ὦ Σώκρατες, τοῦτο μὲν ἔτι μεῖζον ἢ κατὰ βασιλέα εἶναι τὸ σχῆμα τὸ τοῦ θείου νομέως, τοὺς δ' ἐνθάδε νῦν ὄντας πολιτικοὺς τοῖς ἀρχομένοις ὁμοίους τε εἶναι μᾶλλον πολὺ τὰς φύσεις καὶ παραπλησιαίτερον παιδείας μετειληφέναι καὶ τροφῆς.[1]) Etiam illo loco, quo de legibus disputatur, distincte Antisthenicam disciplinam irrideri arbitror. Plato enim postquam infirmitate naturae humanae adductus leges necessarias esse confessus est, καὶ τὸν νομοθέτην, inquit, τοίνυν ἡγώμεθα, τὸν ταῖσιν ἀγέλαις ἐπιστατήσαντα τοῦ δικαίου πέρι καὶ τῶν πρὸς ἀλλήλους ξυμβολαίων, μή ποθ' ἱκανὸν γενήσεσθαι πᾶσιν ἀθρόοις προστάττοντα ἀκριβῶς ἑνὶ ἑκάστῳ τὸ προσῆκον ἀποδιδόναι.[2]) Pro certo autem affirmare mihi videtur sententiam meam, quod comparatio illa apium reginae cum imperatore a Cynicis usurpata a Platone quoque adhibetur: p. 301 E. νῦν δέ γε ὁπότε οὐκ ἔστι γιγνόμενος, ὡς δὴ φαμέν, ἐν ταῖς πόλεσι βασιλεὺς οἷος ἐν σμήνεσιν ἐμφύεται, τό τε σῶμα εὐθὺς καὶ τὴν ψυχὴν διαφέρων εἷς, δεῖ δὴ συνελθόντας ξυγγράμματα γράφειν, ὡς ἔοικε, μεταθέοντας τὰ τῆς ἀληθεστάτης πολιτείας ἴχνη.

De hoc sapientis imperio quomodo iudicaverit Antisthenes fortasse accuratius cognosci potest ex libro illo ‚περὶ τοῦ πάντα σπουδαῖον εἶναι ἐλεύθερον', qui inter Philonis opera fertur. Hunc autem non a Judaeo illo scriptum, sed a compilatore quodem, qui imprimis Stoicis auctoribus usus est, compositum esse Ricardus Ausfeld[3]) rectissime demonstravit. Permulta in eo inveniuntur, quae proxime absunt ab iis, quae supra exposui de Antisthenis doctrina. Persimili ratione, qua apud Platonem, demonstratur, bonum virum i. e.

---

[1]) cf. Ed. Schwartz, Hecataeus v. Teos.

[2]) Politic. p. 294 E.

[3]) De libro περὶ τοῦ πάντα σπουδαῖον εἶναι ἐλεύθερον. Goettingae 1887.

sapientem a nemine, ut quae nolit faciat, cogi posse, cum mortem contemnat et lege naturae omnes homines sibi subiectos habeat. Quemadmodum enim gregi pastor praesit, ita vulgo principe opus esse; hunc autem esse sapientem. Homerum quidem reges vocare pastores populi, sed a natura hoc nomen vindicatum esse bonis viris: v. p. 450 ed. Mangey. πρὸς οὐδενὸς οὖν ἀναγκάζεται ἅτε καταπεφρονηκὼς μὲν ἀλγηδόνων καταπεφρονηκὼς δὲ θανάτον, νόμῳ δὲ φύσεως ὑπηκόους ἔχων πάντας ἄφρονας. Ονπερ γὰρ τρόπον αἰγῶν μὲν καὶ βοῶν καὶ προβάτων αἰπόλοι καὶ βουκόλοι καὶ νομεῖς ἀφηγοῦνται, τὰς δ'ἀγέλας ἀμήχανον ἐπιτάξαι ποιμέσι· καὶ τὸν αὐτὸν τρόπον οἱ μὲν πολλοὶ θρέμμασιν ἐοικότες ἐπιστάτου καὶ ἄρχοντος δέονται· ἡγεμόνες δ' εἰσὶν οἱ ἀστεῖοι, τὴν τῶν ἀγελαρχῶν τεταγμένοι τάξιν. Ὅμηρος μὲν οὖν ποιμένας λαῶν εἴωθε καλεῖν τοὺς βασιλέας, ἡ δὲ φύσις τοῖς ἀγαθοῖς κυριώτερον τουτὶ τοὔνομα ἐπεφήμισεν, εἴ γ' ἐκεῖνοι ποιμαίνονται τὸ πλέον ἢ ποιμαίνουσιν. Quae verba ad Antisthenem referenda esse cum Plato testatur tum auctor huius libelli ipse prodit. Artissime enim cohaerent cum Cynici illius dicto, δυσβάστακτον εἶναι τὸν ἀστεῖον, quod paucis versibus ante laudatur.

Sequitur argumentum illud a Cynicis valde pressum, quod sapiens cum diis quasi aequis amicitia coniunctus sit. Inde consequitur, cum dii commodis sodalis semper ubique optime prospiciant, ut liber et beatus sit deque omnibus mortalibus imperium teneat: p. 451/52. πρὸς τούτοις ἔτι οὐκ ἂν εἴποι τις τοὺς φίλους τοῦ θεοῦ ἐλευθέρους εἶναι; εἰ μὴ τοῖς μὲν τῶν βασιλέων ἑταίροις ἄξιον μόνον ἐλευθερίαν ἀλλὰ καὶ ἀρχὴν συνομολογεῖν, συνεπιτροπεύουσι καὶ συνδιέπουσι τὴν ἡγεμονίαν· τοῖς δὲ θεῶν τῶν Ὀλυμπίων δουλείαν ἐπιφημιστέον, οἳ διὰ τὸ φιλόθεον εὐθὺς γενόμενοι θεοφιλεῖς, ἴσῃ ἀντιτιμηθέντες εὐνοίᾳ, παρ' ἀληθείᾳ δικαζούσῃ, καθάπερ οἱ ποιηταί φασι, πανάρχοντές τε καὶ βασιλέων βασιλῆές εἰσι.

Multa praeterea exstant argumenta in hoc libro, quae sine dubio produnt Cynicam originem. In hisce numero exempla ab Indicis gymnosophistis eorumque

principe Calano ducta, quae ab auctore ad illustrandam sententiam suam adferuntur; cf. Onesicriti Cynici narrationem ap. Strab. XV p. 715. — Deinde ut sapientem, etiamsi sub corona veneat, sive ab hostibus captus sit sive a latronibus, nunquam tamen pro servo habendum esse demonstretur, praeter alios Diogenes Cynicus citatur, qui, cum quondam venumdandus esset, cuidam quid sciret percontanti respondit: praeesse hominibus, p. 464, 65 cf. p. 469. — Ad Antisthenem spectat comparatio virtutis vel sapientiae cum arce munitissima, quae nullo modo expugnari potest, p. 469: v. Diog. Laert. VI. 12. ἀναφαίρετον ὅπλον ἡ ἀρετή . . . τεῖχος ἀσφαλέστατον φρόνησιν· μήτε γὰρ καταῤῥεῖν μήτε προδίδοσθαι; cf. Epiph. expect. fid. 1089 C. — Ad eundem denique, ut cetera praetermittam, referam mirabilem illam sapientis cum leone comparationem p. 451: εἰ μὴ καὶ τοὺς λέοντας ὠνησάμενον δεσπότην φατέον εἶναι λεόντων, ὃς εἰ μόνον ἐπανατείνοι τὰς ὄψεις, οἵους ἐπρίατο κυρίους ὁ δύστηνος, ὡς χαλεποὺς καὶ ὠμοθύμους, αὐτίκα παθὼν εἴσεται; cf. Aristot. Pol. III 8 p. 1284 a 15, ubi nos docet, Antisthenem imperium populare facete appellasse civitatem, in qua leporibus et leonibus idem ius esset.

Sed redeamus ad Xenophontem. Quem si cum Plat. Politico comparamus, non dubium videtur, quin de iisdem placitis agat. Cum Alcibiades valde premat, si quis leges ferat, priusquam populo persuaserit (μὴ πείσας, ἀλλὰ βιασάμενος), hanc non iustitiam esse, sed iniustitiam, Plato sententiam huic contrariam defendit, quia ut haec vis dicatur, quae civibus commodo sit, fieri non possit (v. Politic. p. 269 B). Cum autem verisimile non sit, Xenophontem respexisse Platonem, quem hanc sententiam quidem probasse, postea autem reiecisse vidimus, hunc locum ad Antisthenem solum quadrare apparet.

Ne autem me ludere credas, videamus, nonne alia argumenta, quibus haec opinio comprobetur,

inveniamus. Concedes mihi Xenophontem non sine certo consilio hanc disputationem commentariis inseruisse. Aliter enim explicari non potest, cur sententiam, quae a Pericle profertur, quamque ipse alio loco probat, in absurdum ducat: v. Mem. IV 4, 13. οὐ γὰρ αἰσθάνομαί σου ὁποῖον νόμιμον ἢ ποῖον δίκαιον λέγεις. — νόμους δὲ πόλεως, ἔφη, γιγνώσκεις; — ἔγωγε ἔφη. — καὶ τίνας τούτους νομίζεις; — ἃ οἱ πολῖται ἔφη, συνθέμενοι ἅ τε δεῖ ποιεῖν καὶ ὧν ἀπέχεσθαι ἐγράψαντο. Apertum est, Xenophontem hoc loco eos deridere, qui leges reiciendas esse statuerunt, simulque demonstrare, talia argumenta nullius pretii esse et in sophistarum modum prolata. Animum quaeso intendas in verba ironice dicta, quibus toti disputationi finem facit: εἴθε σοι, ὦ Περίκλεις, τότε συνεγενόμην ὅτε δεινότατος ἑαυτοῦ ἦσθα.

Eodem modo verba πείθειν et βιάζεσθαι opponuntur Mem. I 2, 10. Xenopho ut crimina ab adversariis quibusdam prolata reiciat, Socratem nunquam adulescentes, ut instituta reipublicae despicerent, aut commovisse aut ad vim eos perduxisse demonstrare conatur: τοὺς δὲ τοιούτους λόγους ἐπαίρειν ἔφη τοὺς νέους καταφρονεῖν τῆς καθεστώσης πολιτείας καὶ ποιεῖν βιαίους· ἐγὼ δ' οἶμαι τοὺς φρόνησιν ἀσκοῦντας καὶ νομίζοντας ἱκανοὺς ἔσεσθαι τὰ συμφέροντα διδάσκειν τοὺς πολίτας ἥκιστα γίγνεσθαι βιαίους, εἰδότας ὅτι τῇ μὲν βίᾳ πρόσεισιν ἔχθραι καὶ κίνδυνοι, διὰ δὲ τοῦ πείθειν ἀκινδύνως τε καὶ μετὰ φιλίας ταὐτὰ γίγνεται; cf. Cyr. VIII 7, 13. Ages. I 20. Qui sunt οἱ φρόνησιν ἀσκοῦντες? Xenopho eos in hac una paragrapho bis ita pressit, ut quin certum genus hominum ante oculos habuerit dubitandum mihi non videatur. E toto conexu apparet, Socratem eosque, qui eum sequebantur intellegendos esse. Sed audias quaeso subtilem quae inest his verbis irrisionem. Demonstratum est, neque Socratem neque discipulos eius, qui integram magistri doctrinam servasse sibi viderentur, cives ad vim perduxisse, cum iis, quae per vim effecta essent, inimicitias et pericula gigni scirent; qui igitur — ita

supplendus est locus — aliter docerent, genuinos Socratis discipulos appellari non posse. Iam vides, ad Cynicos haec verba spectare, qui, ut omnes reipublicae leges omniaque instituta tollerentur, diserte postulabant. Confirmant hanc sententiam Dio Chrysost. IX p. 310 R et Julian. VI p. 195 A, qui Cynicos exercitationes hominum virtutem appetentium et labores egestatemque subeuntium ‚ἀσκήσεις' appellasse nobis testantur. [1]) cf. etiam Euthydemum, quem ad Antisthenem referendum esse supra vidimus: ἐγὼ μὲν οὖν ταῦτα εἶπον, ὦ Κρίτων· τῷ δὲ μετὰ τοῦτο ἐσομένῳ πάνυ σφόδρα προσεῖχον τὸν νοῦν, καὶ ἐπεσκόπουν, τίνα ποτὲ τρόπον ἅψοιντο τοῦ λόγου καὶ ὁπόθεν ἄρξοιντο παρακελευόμενοι τῷ νεανίσκῳ σοφίαν τε καὶ ἀρετὴν ἀσκεῖν.[2])

Quam Xenopho ipse de philosophia civili sententiam habuerit, clarissime cum Cyropaedia tum mirabili illo capite Mem. III 5 edocemur. Consensit cum Platone et Antisthene, rempublicam ita, ut tunc instituta esset, probari non posse, eamque ob rem in imperium populare acerbissime invectus est: v. Mem. III 7, 6. Cum autem Antisthenes civitatem, quae inter primigenios homines fuisset, statueret optimam, Platoni nulla respublica, quae unquam exstitisset, sufficeret, Xenopho, optimatium fautor, homines miseria liberari non posse nisi ad vetera venerandaque instituta maiorum redirent, sibi persuaserat.[3]) Tametei vulgarem sententiam, ex qua ii, qui imperium tenerent, reges appellarentur, acriter impugnavit et artissime ad Antisthenem re applicans sapientes solos pro regibus habendos esse docuit: v. Mem. III 9, 10. βασιλεῖς δὲ καὶ ἄρχοντες οὐ τοὺς τὰ σκῆπτρα ἔχοντας ἔφη εἶναι οὐδὲ τοὺς ὑπὸ τῶν τυχόντων

---

[1]) v. Weber. ll. p. 225.
[2]) Euthyd. p. 283 A.
[3]) v. Mem. III 5, 7—9.

αἱρεθέντας οὐδὲ τοὺς κλήρῳ λαχόντας οὐδὲ τοὺς βιασαμένους οὐδὲ τοὺς ἐξαπατήσαντας, ἀλλὰ τοὺς ἐπισταμένους ἄρχειν.[1])

Sed longe ab eo discrepans ut omnes semper ubique legibus parerent poposcit, quo nihil gratius diis esse posset.[2]) Iterum iterumque pressit, Socratem nunquam contra leges peccasse, sed pericula atque mortem subire maluisse, quam iis non oboedire. Quin etiam eo processit, ut legem idem valere atque iustitiam contenderet: Cyrop. I 3, 17. ἐπεὶ δ', ἔφη, τὸ μὲν νόμιμον δίκαιον εἶναι, τὸ δὲ ἄνομον βίαιον, σὺν τῷ νόμῳ ἐκέλευεν ἀεὶ τὸν δικαστὴν τὴν ψῆφον τίθεσθαι. Quam definitionem in Mem. IV 4 multis argumentis allatis comprobare studuit: Hippias sophista diu Athenis absens in urbem rediit et Socratem de iisdem rebus, quas antea tractaverat, colloquentem audit. Quapropter eum deridet et ipsum novam melioremque scientiam de iustitiae natura se iactat invenisse. Priusquam autem proferat eam, Socratem quid de hac re sentiat, ut sibi explicet, adhortatur. Qui definitionem statuit, legem esse iustitiam: φημὶ γὰρ ἐγὼ τὸ νόμιμον δίκαιον εἶναι (§ 42). Nam qui secundum leges vivat, eum iustum esse, qui autem neglegat eas, iniustum, quoniam optimi reges ducantur ii, qui civibus, ut legibus parerent, persuaserint. Sub finem disputationis loquitur Socrates de legibus, quae non ab hominibus scriptae, sed a diis ipsis datae sint eamque ob rem ab omnibus venerabiles putari debeant.

Recte Krohnius monuit, haec placita a Socratis doctrina prorsus abhorrere. Nam talem de iustitia definitionem eum non statuisse testes sunt gravissimi discipuli eius Plato et Antisthenes, qui iter plane diversum ingressi sunt. An verisimile est,

---

[1]) cf. Dio Chrysost. IV 150 R.

[2]) Mem. IV 3, 16. ὁρᾷς γὰρ ὅτι ὁ ἐν Δελφοῖς θεός, ὅταν τις αὐτὸν ἐπερωτᾷ πῶς ἂν τοῖς θεοῖς χαρίζοιτο, ἀποκρίνεται· νόμῳ πόλεως. cf. I 3, 1.

Platonem et Antisthenem, qui in plurimis rebus secum pugnaverunt, in philosophia civili, cuius in summis capitibus consenserunt, a Socrate prorsus dissensisse?

Credisne igitur, mihi respondebis, Krohnium recte iudicasse, hoc caput a Xenophonte abiudicandum esse? Minime! Nam quid Xenopho revera efficere voluerit, ex antecedenti facile enucleari potest. Acriter repugnat placitis Antisthenicis, quae saluti reipublicae periculosissima ei videntur. Nec vero in hac disputatione vestigia ita latent, ut originem non prodant. Sine dubio Xenopho ad Cynicos spectat, cum dicit, eum solum, qui secundum leges vivat, iustum esse, v. Mem. IV 4, 13; 6, 6. In neminem nisi Antisthenem quadrat quod illi viri reipublicae regendae periti optimi sint, qui populo persuaserint, ut legibus parerent: § 15. τῶν δὲ ἀρχόντων ἐν ταῖς πόλεσιν οὐκ οἶσθα ὅτι, οἵτινες ἂν τοῖς πολίταις αἰτιώτατοι ὦσι τοῦ τοῖς νόμοις πείθεσθαι, οὗτοι ἄριστοί εἰσι, καὶ πόλις, ἐν ᾗ μάλιστα οἱ πολῖται τοῖς νόμοις πείθονται, ἐν εἰρήνῃ τε ἄριστα διάγει καὶ ἐν πολέμῳ ἀνυπόστατός ἐστιν; — Huius capitis §§ 20—23 iam Duemmlerus[1]) ad Antisthenem rettulit. ‚Neque enim a Socrate demonstrari oportuit incestum inter parentes et liberos commissum, quamquam essent, qui non respuerent, divina lege vetari et infelici eventu puniri, nisi a quibusdam contrarium esset affirmatum.' Apparet inter omnes Socraticos de uno Antisthene cogitari posse, quem hoc incestum, quippe quod naturae aptum esset, probasse constat.[2]) Apud Dionem Chrysostomum Oedipus a Diogene vehementer vituperatur, quod certior factus, se cum sua matre stuprum fecisse, oculis se privaverit, quamquam scire debuerit tale quid nefarium non esse idemque non solum bestias facere, sed etiam Persas,

---

[1]) v. Antisth. p. 5.

[2]) cf. Chrysippum ap Sext. Empiric. hypot. III 246 v. Duemmler. Ant. p. 5).

qui omnium optimi ducantur: ἔγνω γάρ, ὅτι τῇ μητρὶ συνεγένετο καὶ παῖδές εἰσιν αὐτῷ ἐξ ἐκείνης . . . πρῶτον μὲν πᾶσιν ἐποίησεν φανερόν, ἔπειτα ἠγανάκτει καὶ ἐβόα μεγάλα, ὅτι των αὐτῶν πατήρ ἐστι καὶ ἀδελφὸς καὶ τῆς αὐτῆς γυναικὸς ἀνὴρ καὶ υἱός. οἱ δὲ ἀλεκτρυόνες οὐκ ἀγανακτοῦσιν, ἐπὶ τούτοις οὐδὲ οἱ κύνες οὐδὲ τῶν ὄνων οὐδεὶς οὐδὲ οἱ Πέρσαι.[1])

III.

Ad virtutem adipiscendam Xenophonti summi momenti est, quod homines continentiam expetunt, quod omnis virtutis ac felicitatis fundamentum esse arbitratur. Iterum iterumque Socratem disputantem facit, homines nulla re nisi continentia ad veram animorum libertatem perduci posse. Hac libidines coerceri easque sub potestatem rationis redigi, hac effici, ut omnes labores libenter suscipiamus ac vitam optime felicissimeque degamus.

Krohnius totam de continentia doctrinam a Xenophonte abiudicavit, imprimis nixus in illo Socratis dicto, τὴν ἐγκράτειαν ἀρετῆς εἶναι κρηπῖδα, quod pugnare sibi fingebat cum genuina eius sententia, quae nobis servata esset III 9, 4. σοφίαν δὲ καὶ σωφροσύνην οὐ διώριζεν, ἀλλὰ τῷ τὰ μὲν καλά τε κἀγαθὰ γιγνώσκοντα χρῆσθαι αὐτοῖς καὶ τῷ τὰ αἰσχρὰ εἰδότα εὐλαβεῖσθαι σοφόν τε καὶ σώφρονα ἔκρινε. Ex quo consequi, ut scientia sola pro fundamento virtutis habenda esset.

Sed singula capita in quaestionem revocemus. Mem. I 3, 8 sqq. Socrates discipulos graviter admonet, ut a corporis voluptatibus sese abstineant, cum fieri non possit, ut ii, qui illis serviant, sanae mentis sint. Krohnius magnopere offendit, quod osculis tanta vis tribuitur, eamque ob rem totum hoc colloquium arbitratur ab interpolatore quodam

---

[1]) or. X p. 305 R.

ex simili Convivii loco sumptum et in rhetorum modum amplificatum esse: IV 25. καίτοι νὴ τοὺς θεούς, ὦ ἄνδρες, δοκεῖ μοί γ', ἔφη, ὡς ἐν ἡμῖν αὐτοῖς εἰρῆσθαι, οὗτος καὶ πεφιληκέναι τὸν Κλεινίαν· οὗ ἔρωτος οὐδέν ἐστι δεινότερον ὑπέκκαυμα. καὶ γὰρ ἄπληστον καὶ ἐλπίδας τινὰς γλυκείας παρέχει . . . οὗ ἕνεκα ἀφεκτέον ἐγώ φημι εἶναι φιλημάτων ὡραίων τῷ σωφρονεῖν δυνησομένῳ. — Equidem aliter diiudico, cum Xenophontem hoc loco cum Antisthene contra Platonem stare mihi fingam, inter quos magnam de hac re discrepantiam exstitisse nemo nescit. Cum enim hic communem Graecorum sententiam secutus nihil sordidi puerorum amori inesse putaret, ille acerbissime eum impugnavit naturaeque vitium vocavit: v. Clem. Alex. Strom. II. 20 p. 485 Pott. ἐγὼ δὲ ἀποδέχομαι τὸν Ἀντισθένην, τὴν Ἀφροδίτην λέγοντα κἂν κατατοξεύσαιμι, εἰ λάβοιμι, ὅτι πολλὰς ἡμῶν καλὰς καὶ ἀγαθὰς γυναῖκας διέφθειρεν, τόν τε ἔρωτα κακίαν φησὶ φύσεως· ἧς ἥττους ὄντες οἱ κακοδαίμονες θεὸν τὴν νόσον καλοῦσιν· δείκνυται γὰρ διὰ τούτων ἡττᾶσθαι τοὺς ἀμαθεστέρους δι' ἄγνοιαν ἡδονῆς ἣν οὐ χρὴ προσίεσθαι κἂν θεὸς λέγηται, τουτέστι κἂν θεόθεν ἐπὶ τὴν τῆς παιδοποιίας χρείαν δεδομένη τυγχάνῃ. — § 14. Socrates necessarium profitetur sibi videri, quod hominibus cupiditate concubandi flagrantibus illam satiare liceat: οὕτω δὴ καὶ ἀφροδισιάζειν τοὺς μὴ ἀσφαλῶς ἔχοντας πρὸς ἀφροδίσια ᾤετο χρῆναι πρὸς τοιαῦτα, οἷα μὴ πάνυ μὲν δεομένου τοῦ σώματος οὐκ ἂν προσδέξαιτο ἡ ψυχή, δεομένου δὲ οὐκ ἂν πράγματα παρέχοι. Persimili ratione Antisthenes suasit, quando corpus rei venereae indigeret, ut meretrices adiremus, quippe cum melius esset, cum illis nos concubare, quam amoris causa labores ac pericula suscipere itaque prohiberi, quominus animos ad virtutem intenderemus. Xenopho ipse eo quod hanc Cynici illius sententiam laudat, se eam probasse certiores nos facit: Conv. IV 38. ἢν δέ ποτε καὶ ἀφροδισιάσαι τὸ σῶμά μου δεηθῇ, οὕτω μοι τὸ παρὸν ἀρκεῖ, ὥστε αἷς ἂν προσέλθω ὑπερασπάζονταί με διὰ τὸ μηδένα ἄλλον αὐταῖς ἐθέλειν προσιέναι. Certum denique

argumentum, quo Xenophontem hoc capite Antisthenis vestigia pressisse edocemur, praebet § 7: οἴεσθαι δ' ἔφη ἐπισκώπτων καὶ τὴν Κίρκην ὗς ποιεῖν τοιούτοις πολλοῖς δειπνίζουσαν· τὸν δὲ Ὀδυσσέα Ἑρμοῦ τε ὑποθημοσύνῃ καὶ αὐτὸν ἐγκρατῆ ὄντα καὶ ἀποσχόμενον τοῦ ὑπὲρ τὸν κόρον τῶν τοιούτων ἅπτεσθαι, διὰ ταῦτα οὐ γενέσθαι ὗν. Circae fabula enim eadem fere ratione explicatur, qua apud Dionem Chrysostomum, qui eam sine dubio ex Cynico quodam auctore sumpsit: v. VIII 283; XXXII 28 sqq.[1])

Capite quinto eiusdem libri Socrates demonstrare conatur, continentiam fundamentum esse omnis virtutis: § 4. ἆρά γε οὐ χρὴ πάντα ἄνδρα, ἡγησάμενον τὴν ἐγκράτειαν ἀρετῆς εἶναι κρηπῖδα, ταύτην πρῶτον ἐν τῇ ψυχῇ κατασκευάσασθαι; Errat qui hoc dictum Xenophontis doctrinae repugnare credat. Nam qui virtutem expetit, is necesse est ante omnia continentiae studeat, quae una efficit, ut animos in vera huius vitae bona intendamus et divitias honores alia quae vulgo bona ducantur despiciamus paucisque rebus contenti simus. Quod verum esse clarissime illi testantur, qui eam neglegunt et voluptatibus serviunt. Incontinentia eos libertate privat ac impedit, quominus sapientiam appetant animosque ita perturbat, ut quae bona sint, quae mala nesciant: v. Mem. IV 5, 6. σοφίαν δὲ τὸ μέγιστον ἀγαθὸν οὐ δοκεῖ σοι ἀπείργουσα τῶν ἀνθρώπων ἡ ἀκρασία εἰς τοὐναντίον αὐτοὺς ἐμβάλλειν; ἢ οὐ δοκεῖ σοι προσέχειν τε τοῖς ὠφελοῦσι καὶ καταμανθάνειν αὐτὰ κωλύειν, ἀφέλκουσα ἐπὶ τὰ ἡδέα καὶ πολλάκις αἰσθανομένους τῶν ἀγαθῶν τε καὶ τῶν κακῶν ἐκπλήξασα ποιεῖν τὸ χεῖρον ἀντὶ τοῦ βελτίονος αἱρεῖσθαι; — γίγνεται τοῦτ', ἔφη. — σωφροσύνης δὲ . . . τίνι ἂν φαίημεν ἧττον ἢ τῷ ἀκρατεῖ προσήκειν; Contra continentia homines a servitute liberat iisque viam ostendit, qua ad sapientiam perducantur. Haec est necessaria ut ita dicam conditio, in qua positae sunt σοφία καὶ σωπροσύνη. Cum

---

[1]) v. Duemmler. Antisth. p. 30.

autem virtus pendeat a sapientia, Xenophontem optimo iure eam fundamentum virtutis appellare necesse est concedamus. Recte me iudicasse testis est Xenopho ipse: Mem. IV. 5, 11. ἀλλὰ τοῖς ἐγκρατέσι μόνοις ἔξεστι σκοπεῖν τὰ κράτιστα τῶν πραγμάτων, καὶ λόγῳ καὶ ἔργῳ διαλέγοντας κατὰ γένη τὰ μὲν ἀγαθὰ προαιρεῖσθαι, τῶν δὲ κακῶν ἀπέχεσθαι.

Quo loco disputat Socrates de libertate sapientis. Demonstratur, veram libertatem impetrari non posse nisi continentia, quippe quae homines doceat, quemadmodum bona adipiscantur, eosque in mala incidere prohibeat. Haec quoque doctrina spectat ad Cynicos, a quibus Stoici eam receperunt et magis magisque excoluerunt. Scimus Antisthenem einsque discipulos omnes homines divisisse in sapientes et stultos, illos admodum paucos esse, hos plurimos. Stulti eo, quod voluptates persecuntur, libertate se privant sibique ipsis aeternam servitutem iniungunt, sapientes soli liberi sunt, quoniam omnia bona contemnunt et in nullam rem nisi virtutem animos intendunt: v. Epict. dissert. III 24, 67. ἐξ οὗ μ' Ἀντισθένης ἠλευθέρωσεν, οὐκέτι ἐδούλευσα· πῶς ἠλευθέρωσεν; ἐδίδαξέ με τὰ ἐμὰ καὶ τὰ οὐκ ἐμά, κτλ. cf. etiam Crat. vers. ap. Clem. Alexandr. Strom. II p. 413 A:

‚ἡδονῇ ἀνδραποδώδει ἀδούλωτοι καὶ ἄκαμπτοι
‚ἀθάνατον βασιλείαν ἐλευθερίαν τ' ἀγαπῶσιν'.[1])

Constat praeterea totam Cynicorum doctrinam positam esse in continentia. Profecti ab illo placito: ‚αὐτάρκη τὴν ἀρετὴν πρὸς εὐδαιμονίαν, μηδενὸς δεομένην ὅτι μὴ Σωκρατικῆς ἰσχύος', eo praecipue felicitatem se adepturos esse sperabant, quod omnibus voluptatibus se abstinerent et earum rerum, quae ad vivendum

---

[1]) v. librum ‚περὶ τοῦ πάντα σπουδαῖον εἶναι ἐλεύθερον', quo simili ratione, qua apud Xenophontem, demonstratur, eum, qui voluptatibus serviat, stultum esse, sapientem unum liberum, cum continentiae et virtuti studeat.

maxime necessariae essent, satis haberent. Itaque parce vivebant et famem sitimque libenter tolerabant. Sua sponte corpora in molestiis perferendis exercitabant et omnes labores subibant, cum apti essent, qui homines ad virtutem perducerent. Nam virtutem manifestam fieri operibus neque multis verbis neque disciplinis egere: v. Diog. Laert. VI 11. τήν τ' ἀρετὴν τῶν ἔργων εἶναι, μήτε λόγων πλείστων δεομένην μήτε μαθημάτων. Eadem ex causa omnibus rebus vacare studebant, quas plerique ante omnia magni facerent, et illos vere sapientes diisque similes appellabant, qui nihil desiderarent, quippe cum divinum esset nullius rei indigere: v. Diog. Laert. VI 113. θεῶν μὲν ἴδιον εἶναι μηδενὸς δεῖσθαι, τῶν δὲ τοῖς θεοῖς ὁμοίων ὀλίγων χρῄζειν. cf. Dio. Chrysost. or. VI 208. καὶ ἐμιμεῖτο (sc. Διογένης) τῶν θεῶν τὸν βίον.

Tertio loco disserit Xenopho de continentia in alterius libri capite primo, quod me quidem iudice item ad Antisthenem referendum est. Pugnat enim auctor cum Cynicis contra Aristippum eiusque sectatores, qui ab illis diversi voluptatem summum bonum esse statuerunt. Nusquam totius libri Xenopho quid efficere voluerit tam aperte in lucem protraxit, nusquam tam perspicue prodidit, Antisthenis doctrinam omnium maxime probabilem sibi videri. Ratio, quam adhibet, plane Cynica est:

Xenopho.	Antisthenes.
1. Labor bonum est, quippe qui homines ad libertatem perducat.	Diog. Laert. VI. καὶ ὅτι ὁ πόνος ἀγαθὸν συνέστησε διὰ τοῦ μεγάλου Ἡρακλέους καὶ τοῦ Κύρου.
2. § 17. ἀλλὰ γάρ, ὦ Σώκρατες, οἱ εἰς τὴν βασιλικὴν τέχνην παιδευόμενοι, ἣν δοκεῖς μοι σὺ νομίζειν εὐδαιμονίαν εἶναι.	Euthyd. p. 291 B. ἐπὶ δὲ δὴ τὴν βασιλικὴν ἐλθόντες τέχνην καὶ διασκοπούμενοι αὐτήν, εἰ αὕτη εἴη ἡ τὴν εὐδαιμονίαν ἀπεργαζομένη, ἐν-

ταῦθα ὥσπερ εἰς λαβύρινθον ἐμπεσόντες, οἰόμενοι ἤδη ἐπὶ τέλει εἶναι. cf. Epict. dissert. III 22, 24. — Dio. Chrys. IV p. 149 sqq.

3. § 31. τοῦ δὲ πάντων ἡδίστου ἀκούσματος, ἐπαίνου σεαυτῆς, ἀνήκοος εἶ, καὶ τοῦ πάντων ἡδίστου θεάματος ἀθέατος.

Porphyr. Schol. ad Horat. Sat. II 294. Is enim cum videret adulescentem luxuriosum acroamatibus deditum, ait, miserum te, qui nunquam audisti summum acroama, laudem tuam, quamquam alii id tribuunt Xenophonti.

4. § 33. καὶ ἡδέως μὲν τῶν παλαιῶν πράξεων μέμνηνται, εὖ δὲ τὰς παρούσας ἥδονται πράττοντες, δι' ἐμὲ φίλοι μὲν θεοῖς ὄντες, ἀγαπητοὶ δὲ φίλοις, τίμιοι δὲ πατρίσιν.

Diog. Laert. VI 51. τῶν θεῶν ἐστι πάντα· φίλοι δὲ οἱ σοφοὶ τοῖς θεοῖς etc. — cf. librum ‚περὶ τοῦ πάντα σπουδαῖον εἶναι ἐλεύθερον' (v. Ausfeld ll. p. 45).

Sed Krohnius fieri non posse contendit, ut Xenopho dialogum Prodici commentariis inseruerit, cum Socratis doctrina plane abhorreat a sophistarum philosophia. Qua de re quamquam certum iudicium proferre non audeo, tamen ex ea necessario sequi, ut hoc caput a Xenophonte abiudicandum sit, praefracte nego: immo cum consilio neque sine causa auctor hunc dialogum recepisse mihi videtur. Magistrum Antisthenis defensurus erat a criminibus, quae praecipue Plato [1]) in eum contulerat, atque eo,

[1]) v. Protag. p. 316 A. περὶ δὲ ὧν διελέγοντο οὐκ ἐδυνάμην ἔγωγε μαθεῖν ἔξωθεν, καίπερ λιπαρῶς ἔχων ἀκούειν τοῦ Προδίκου· — πάσσοφος γάρ μοι δοκεῖ ἀνὴρ εἶναι καὶ θεῖος — ἀλλὰ διὰ τὴν βαρύτητα τῆς φωνῆς βόμβος τις ἐν τῷ οἰκήματι γιγνόμενος ἀσαφῆ ἐποίει τὰ λεγόμενα.

quod hoc colloquium Atheniensibus in memoriam revocabat, demonstraturus, Prodicum magna iniuria affici, quod ita ei obtrectaretur.

IV.

Certum est, Socratem amicitiae magnam vim attribuisse; nam omnes fere qui eum sequebantur philosophi de ea disputarunt et quamquam in singulis rebus dissidebant, tamen summi momenti eam esse universi consenserunt atque dignam, quae ab omnibus hominibus coleretur. Multis locis Plato de natura eius accurate disseruit; nec minus valet in philosophia a Xenophonte prolata, qui iterum iterumque eam praedicat et omnium bonorum optimum esse demonstrat. Sed tantum abest, ut ex his philosophis enucleare possimus, quamnam de amicitia sententiam Socrates ipse habuerit, ut in maiorem nos implicemus perturbationem, quam quomodo effugere possimus nescimus. Ex hac de amicitia doctrina maxime fit perspicuum, quam caduca sit illa Zelleri aliorumque sententia, qui adiuvante Aristotele ex Platonis et Xenophontis scriptis genuinam Socratis disciplinam evinci posse arbitrantur. Nam quae de hac re proferunt, adeo sibi repugnant, ut illos non unius magistri doctrinam prodere sed alterum alterius sententiam impugnare necesse sit censeamus. Cum a Platone amicitiam artissime cohaerere cum amore demonstretur, Xenopho amorem pro summo malo habet eumque acerbissime impugnat; cum apud illum amicitia homines ad veram philosophiam et ad summam boni cognitionem perducat, hic omnem amicitiam positam esse docet in utilitate neque suae ipsius, sed tantummodo magni quod praebeat commodi causa expetendam esse. Optime haec sententia illustratur Mem. II 4—6, quo loco Xenopho copiose

de amicitia disserit multisque verbis ostendit, amicitiae ob eam rem tantam vim attribui, quod in omnibus rebus sive secundis sive adversis ab amicis nunquam deseramur, sed semper ubique ab iis adiuvemur, ut damna propulsemus, commoda adipiscamur. Ex hoc consequitur, ut amici eodem modo, quo servi, diversi pretii sint et ex utilitate, quam quisque praebeat, aestimari debeant: Mem. II 5, 3. σκοποῦμαι δή τοῦτο, ἔφη, εἰ ἄρα, ὥσπερ τῶν οἰκετῶν, καὶ τῶν φίλων εἰσὶν ἀξίαι. Priusquam igitur amicitiam cum aliquo ineamus, in mores eius accurate nos inquirere opus est. Tum si dignus ea videtur, omni modo eum consilio atque opera iuvare debemus, ut amicitiam cum eo conciliemus. Inde apparet, bonos viros tantummodo amicitia contineri posse; nam ut pravi bonis vel etiam pravi pravis amici sint fieri non posse, cum alii aliis usum adferre nequeant.

Haec placita magnam similitudinem habent cum iis, quae a Platone in Lyside proferuntur. Sed quae Xenopho probat, ea Plato refutat et nullius pretii esse demonstrat. Disputat sic fere. Socratem, cum Hippothales quidem ab illo interrogatus, quem omnium adulescentium pulcherrimum putaret, rubore suffusus sit, confessum esse se iam scire, amore eum captum esse; nam a diis facultatem sibi esse datam diligentes et dilectos celeriter cognoscendi. Tum certiorem factum, Hippothalem amore Lysidis flagrare eiusque laudes semper ubique canere, eum iuvenem admonuisse, ne dilectum superbum et insolentem faceret et petenti, ut viam, qua benevolentiam Lysidis sibi conciliaret, ostenderet, se hoc facturum pollicitum esse.

Eandem sententiam expressit Xenopho in Mem. II 6, 28: ἴσως δ' ἄν τί σοι κἀγὼ συλλαβεῖν εἰς τὴν τῶν καλῶν τε κἀγαθῶν θήραν ἔχοιμι διὰ τὸ ἐρωτικὸς εἶναι. Ut in Lyside Hippothales, hic Critobulus, cum dubitet, quid, ut dilectum sibi coniungat, faciat, Socratem

precibus adit, ut se edoceat, quomodo optime facillimeque amicos sibi paret: § 29. ὁρῶ δὲ καὶ σοὶ τούτων δεῆσον, ὅταν ἐπιθυμήσῃς φιλίαν πρός τινας ποιεῖσθαι. Sed via ac ratio, qua hoc effici arbitrantur, plane diversa est. Cum apud Xenophontem Socrates Critobulum admoneat, ut bonus fiat — nam hoc fundamentum esse omnis amicitiae —, Plato longa quaestione adhibita hanc sententiam reiciendam esse demonstrare conatur.

Socratem igitur, pergit Plato, Lysidem allocutum esse eique ostendisse, illos solum homines magni putari atque amari, qui periti atque sapientes essent; neque enim propter adulescentiam parentes eum impedire, quominus omnia, quae voluptati sibi essent, faceret, sed propter inscientiam suam et imperitiam. Ob eam rem quam plurimum discere studeret, ut civibus suis totique reipublicae utilis et omnibus hominibus amicus fieret.[1]

Quo exemplo Hippothali dato Socrates ad Menexenum, amicum Lysidis, se convertit. Interrogat illum, cum eum magna familiaritate cum Lyside coniunctum esse cognoverit et ipse amicorum cupidissimus sit (φιλέταιρος), quomodo alter alterius amicus fiat et uter alterius amicus: diligens an dilectus. Refutat deinde Menexeni sententiam, ex qua amicitia esse nequeat nisi communitas ei adsit. Nam multi homines equos vina alia amant, a quibus redamari non possunt. Ex quo sequi videtur, diligentem revera amicum esse dilecto, sive ab illo diligitur sive non diligitur vel odio afficitur. Sed et hoc et illud quod dilectus amicus sit diligenti, absurdum est, quippe cum fieri non possit, ut inimicis amici simus et amicis inimici.[2]

---

[1]) cf. Lys. p. 206 E. — 210 E.
[2]) p. 211 A. — 213 D.

Simili ratione disputat Socrates apud Xenophontem. Exemplis allatis Critobulo persuadet, nullum hominem nisi sapientem revera amico usui esse, cum qui nihil sciat, omnia perverse agat itaque amicis magis noceat quam prosit.[1]) Eodem modo atque Plato, Xenopho prodit, Socratem amicorum cupidissimum fuisse neque ullum bonum maius atque praestantius ei visum esse, quam bonorum hominum amicitia uti: § 28. δεινῶς γάρ, ὧν ἂν ἐπιθυμήσω ἀνθρώπων, ὅλος ὥρμημαι ἐπὶ τὸ φιλῶν τε αὐτοὺς ἀντιφιλεῖσθαι ὑπ' αὐτῶν καὶ ποθῶν ἀντιποθεῖσθαι καὶ ἐπιθυμῶν συνεῖναι καὶ ἀντεπιθυμεῖσθαι τῆς συνουσίας. Denique ad hoc illustrandum atque probandum uterque eadem exempla adhibet; quod casu factum esse nemo sibi persuadebit:

Plat. p. 211 E.	Xenoph. Mem. I 6, 14.
ὁ μὲν γάρ τις ἵππους ἐπιθυμεῖ κτᾶσθαι, ὁ δὲ κύνας, ὁ δὲ χρυσίον, ὁ δὲ τιμάς· ἐγὼ δὲ πρὸς μὲν ταῦτα πρᾴως ἔχω, πρὸς δὲ τὴν τῶν φίλων κτῆσιν πάνυ ἐρωτικῶς καὶ βουλοίμην ἄν μοι φίλον ἀγαθὸν γενέσθαι μᾶλλον ἢ τὸν ἄριστον ἐν ἀνθρώποις ὄρτυγα ἢ ἀλεκτρυόνα, καὶ ναὶ μὰ Δία ἔγωγε μᾶλλον ἢ ἵππον τε καὶ κύνα.	ἐγὼ δ' οὖν καὶ αὐτός, ὦ Ἀντιφῶν, ὥσπερ ἄλλος τις ἢ ἵππῳ ἀγαθῷ ἢ κυνὶ ἢ ὄρνιθι ἥδεται, οὕτω καὶ ἔτι μᾶλλον ἥδομαι φίλοις ἀγαθοῖς. καὶ ἐάν τι ἔχω ἀγαθόν, διδάσκω, καὶ ἄλλοις συνίστημι παρ' ὧν ἂν ἡγῶμαι ὠφελήσεσθαί τι αὐτοὺς εἰς ἀρετήν. cf. Mem. II 4, 5.

Sed redeamus ad Lysidem. Cum ita quaestionem ad certam definitionem perduci non posse appareat, Socrates, ut Menexenus quiescat, rursus Lysidem alloquitur et novam quaerendi viam ingreditur. Proficiscitur ab illo poetarum dicto:

αἰεί τοι τὸν ὁμοῖον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὁμοῖον.

Ex hoc apparere, amicitiam positam esse in similitudine; sed tantummodo dimidiam huius dicti

[1]) v. Mem. II 6, 38. ἢ εἴ τινας ἰδίᾳ τῶν πολιτῶν πείσαιμι ψευδόμενος ὡς ὄν τι οἰκονομικῷ τε καὶ ἐπιμελεῖ τὰ ἑαυτῶν ἐπιτρέψαι, ἆρ' οὐκ ἂν πεῖραν διδοὺς ἅμα τι βλαβερὸς καὶ καταγέλαστος φαίνοιο.

partem veram esse, cum inter malos nullo modo amicitia consistere posset. Restare igitur, ut nisi inter bonos amicitia esse non posset. Sed etiam hanc sententiam refutat Socrates. Nam qui inter se similes essent, sibi invicem prodesse eamque ob rem mutuo amore contineri non posse; praeterea bonos, cum sibi ipsis plane sufficerent, nunquam studere amicos sibi conciliare.[1]

Qua de re quae a Xenophonte exposita sunt cum his adeo congruunt, ut primo obtutu Platonem hoc loco Xenophontem ante oculos habuisse eiusque sententiam impugnasse credas. Persimili ratione, qua ille, Xenopho pravos homines neque sibi neque bonis amicos esse ostendit; nam pravos pravis quo accuratius se ac ipsorum pravitatem perspexissent, eo inimiciores fieri, cum bonis autem familiaritate coniungi non posse, quia ut qui mala agerent iis, qui haec oderunt, amici essent fieri non posset. Mem. II 6, 19 sqq. οἱ μὲν οὖν πονηροὶ πάντως ἔμοιγε δοκοῦσιν ἀλλήλοις ἐχθροὶ μᾶλλον ἢ φίλοι πεφυκέναι· ἀλλὰ μήν, ὥσπερ σὺ λέγεις, οὐδ᾽ ἂν τοῖς χρηστοῖς οἱ πονηροί ποτε συναρμόσειαν εἰς φιλίαν (v. Lys. p. 214 C—D). Ita cum Platone ad hanc definitionem pervenit, ut nisi inter bonos vera amicitia esse non posset. Sed cum haec a Platone reiceretur, Xenophonti fundamentum erat, in quo exstrueret totam de amicitia doctrinam: v. Mem. II 6, 22. ἀλλ᾽ ὅμως διὰ τούτων πάντων ἡ φιλία διαδυομένη συνάπτει τοὺς καλοὺς κἀγαθούς.

Vides conexum quendam inter Platonem et Xenophentem consistere. Quaestio igitur est, quomodo hic conexus explicandus sit. Neque enim hanc esse doctrinam a magistro acceptam inde intellegis, quod ea placita, quae a Xenophonte probantur, a Platone refutantur atque irridentur. Item sententia reicienda est, Platonem Xenophontem ipsum impugnavisse,

---

[1]) v. Lys. p. 214—215 C.

quia cum Lysidem post commentarios compositum esse omni probabilitate caret tum in hoc dialogo nullum vestigium invenitur, ex quo Platonem respexisse Xenophontem appareat: immo omnes loci, quibus Plato ipse adversarios suos describit, huic opinioni repugnant. Unum igitur restat, quod utrumque nobis fingamus ex alio auctore hausisse, et ita quidem, ut alter placita eius sine ulla dubitatione receperit, alter in ludibrium verterit,

Quam coniecturam multum probabilitatis habere Plato ipse confirmat. Primo obtutu ille locus in oculos cadit, quo philosophus disputat de sapientissimis hominibus, qui idem ac poetae, similem amicum esse simili, senserint: p. 214 B. οὐκοῦν καὶ τοῖς τῶν σοφωτάτων συγγράμμασιν ἐντετύχηκας ταῦτα ταὐτὰ λέγουσιν, ὅτι τὸ ὅμοιον τῷ ὁμοίῳ ἀνάγκη φίλον εἶναι. Quin Plato his verbis adversarium quendam respexerit, nemini dubium esse potest. Sed quis est ille adversarius? Empedoclem intellegi non posse, id quod Heindorfius opinabatur, Stallbaumius recte demonstravit, ipse autem cogitat de Anaxagora. Boeckhius sophistas intellegendos esse arbitratur, cui assensus C. Fr. Hermannus[1]) hunc sophistam Hippiam esse censet. Sed omnes opiniones certo argumento carent. Nam qui Platonis rationem scribendi accurate perspexerit, eum fugere non potest, illi hoc loco aequalis adversarii placita ante oculos versata esse. Cuius rei nisi immemor sis, non iam difficile est exquirere, inter omnes aequales unum Antisthenem respiciendum fuisse. Constat enim, Cynicos docuisse, similia cum similibus amicitiae vinculo contineri: v. Diog. Laert. VI 105. ἀξιέραστόν τε τὸν σοφὸν καὶ ἀναμάρτητον καὶ φίλον τῷ ὁμοίῳ, κτλ. Quod decretum Stoici quoque, quorum doctrinam maxima parte e Cynicorum fluxisse nemo

---

[1]) Geschichte und System d. Platon. Philosophie I p. 569, adnot. 78.

nescit, statuerunt: v. Diog. Laert. VII 124. τὴν φιλίαν ἐν μόνοις τοῖς σπουδαίοις εἶναι διὰ τὴν ὁμοιότητα.[1]) Cum his verbis adeo conveniunt quae Socrates in Lyside p. 214 D disputat, ut Platonem illud Stoicorum placitum impugnasse tibi fingas: τοῦτο τοίνυν αἰνίττονται, ὡς ἐμοὶ δοκοῦσιν, ὦ ἑταῖρε, οἱ τὸ ὅμοιον τῷ ὁμοίῳ φίλον λέγοντες, ὡς ὁ ἀγαθὸς τῷ ἀγαθῷ μόνος μόνῳ φίλος, ὁ δὲ κακὸς οὔτε ἀγαθῷ οὔτε κακῷ οὐδέποτε εἰς ἀληθῆ φιλίαν ἔρχεται.

Magna et admirabili disserendi subtilitate Plato in Cynicos ipsorum arma vertit. Ut hanc de amicitia sententiam refutet, illo Cynicorum placito utitur, ex quo sapiens se ipso contentus esse videbatur et nullius rei indigere: v. p. 215 A. οὐχ ὁ ἀγαθός, καθ' ὅσον ἀγαθός, κατὰ τοσοῦτον ἱκανὸς ἂν εἴη αὑτῷ; — ναί — ὁ δὲ ἱκανὸς οὐδενὸς δεόμενος κατὰ τὴν ἱκανότητα — πῶς γὰρ οὔ; — ὁ δὲ μή του δεόμενος οὐδέ τι ἀγαπῴη ἄν; κτλ. Accedit aliud argumentum. Neque enim sine consilio Plato hos sapientissimos homines cum poetis coniunxisse videtur. Scimus Antisthenem eiusque sectatores poetas quasi pro fonte omnis scientiae habuisse et discipulis dicta eorum diligenter inculcasse.[2])

Sed Plato ipse illos homines, quorum decreta in hoc dialogo carpit, tam accurate describit, ut quinam illi intellegendi sint, in dubio non relinquamur. Sunt qui de natura ac rerum universitate disputant: p. 214 B. εἰσὶ δέ που οὗτοι οἱ περὶ φύσεώς τε καὶ τοῦ ὅλου διαλεγόμενοι καὶ γράφοντες. Altero loco, quo illos, qui contraria maxime amica esse contrariis contendunt, impugnat, eos appellat 'οἱ πάσσοφοι ἄνδρες, οἱ ἀντιλογικοί' (p. 216 B). Apparet hos esse Antisthenem eiusque discipulos, qui simili ratione saepissime a Platone deridentur.

---

[1]) Diog. Laert. VI 12: ἀξιέραστος ὁ ἀγαθός· οἱ σπουδαῖοι φίλοι.

[2]) v. Diog. Laert. VI 31: κατεῖχον δὲ οἱ παῖδες πολλὰ ποιητῶν καὶ ξυγγραφέων καὶ τῶν αὐτοῦ Διογένους, πᾶσαν τ' ἔφοδον σύντομον πρὸς τὸ εὐμνημόνευτον ἐπήσκει. cf. Duemmler, Antisth. p. 16 sqq.

Postquam Socrates cum similia similibus tum contraria contrariis amica esse refutavit, nec bonum nec malum amicum boni esse statuit; veluti corpus, quod per se nec bonum nec malum esset, si morbo aliquo afficeretur, propter morbum demum medico amicum fieri. Inde evinci, nec bonum nec malum cum bono amicitia coniungi propter malum. Nam dum illud, quod per se nec bonum nec malum esset, nondum plane malum factum esset, semper boni desiderio moveri eique amicum fieri. Itaque neque eos qui perfecte sapientes neque eos qui perfecte stolidi essent sapientiae esse amicos, sed eos qui nec boni nec mali essent, quoniam propter inscientiam dolore afficerentur et vehementi sapientiae desiderio incenderentur: p. 218 A. διὰ ταῦτα δὴ φαῖμεν ἂν καὶ τοὺς ἤδη σοφοὺς μηκέτι φιλοσοφεῖν, εἴτε θεοὶ εἴτε ἄνθρωποί εἰσιν οὗτοι· οὐδ' αὖ ἐκείνους φιλοσοφεῖν τοὺς οὕτως ἄγνοιαν ἔχοντας ὥστε κακοὺς εἶναι· κακὸν γὰρ καὶ ἀμαθῆ οὐδένα φιλοσοφεῖν . . . . διὸ δὴ καὶ φιλοσοφοῦσιν οἱ οὔτε ἀγαθοὶ οὔτε κακοί πω ὄντες· ὅσοι δὲ κακοὶ οὐ φιλοσοφοῦσιν οὐδὲ οἱ ἀγαθοί.[1]) Non opus est longa argumentatione, ut haec verba, quae plena sunt acerbissimi ludibrii, scripta esse contra certum quendam adversarium cognoscamus. Unusquisque aequalis, qui ea legebat, sine dubio extemplo sciebat, Platonem Cynicos aggressum esse, quippe qui se unice sapientes diisque similes esse gloriarentur. Satis supra disputatum est, qua superbia ex omnibus mortalibus sese efferrent eosque ut caecos et stolidos despicerent: v. Diog. Laert. VI 33. ἀναπήρους ἔλεγεν (sc. Διογένης) αὐτοὺς κωφοὺς καὶ τυφλούς, ἀλλὰ τοὺς μὴ πήραν ἔχοντας, κτλ. (v. etiam Euthyd. p. 281 D.).

Quibus statutis Socrates pergit disputare, quicumque alteri amicus sit eum opus esse finem aliquem ante oculos habere, ad quem tendat et cum ille non

---

[1]) Haec sententia praeterea iisdem fere verbis expressa est in Conv. p. 204 A.

possit ad infinitum procedere, denique ad πρῶτον quod dicitur φίλον pervenire, quo omnis amor atque amicitia redeant cuique uni revera amici simus. Deinde malum causam esse amicitiae refutavit, cum malis sublatis cupiditates tamen, quae nec bonae nec malae sint, remaneant ideoque nonnullis rebus semper amici simus. Non igitur malum sed cupiditatem causam esse amoris vel amicitiae. Qui vero cupit aliquid, id appetit, quod sibi deest i. e. quod sibi proprium est. Ergo amicitia posita est in proprietate natura hominibus insita, eamque ob rem vere amans ab amato necesse est redametur.[1])

Sed hanc quoque definitionem Plato intactam non reliquit. Cur philosophus eam, quae multum prae se fert probabilitatis, Socratem denuo impugnantem fecerit, primo obtutu difficile videtur explicatu. Neque dubium est, quin quae Socrates p. 221 disputat, cupiditatem quasi fontem esse omnis amoris et amicitiae, vera Platonis sententia fuerit. Nam quae a Socrate in Conv. p. 200 sqq. exposita sunt tantam cum his habent similitudinem, ut argumentis non iam opus esse videatur. Simul autem ex Convivio intellegimus, definitionem illam, ex qua amicitia posita sit in proprietate, nihil commune habere cum genuina Platonis doctrina. Neque enim cupiditas proprii amicitiae causa est sed cupiditas boni: v. p. 205 D. οὕτω τοίνυν καὶ περὶ τὸν ἔρωτα· τὸ μὲν κεφάλαιόν ἐστι πᾶσα ἡ τῶν ἀγαθῶν ἐπιθυμία καὶ τοῦ εὐδαιμονεῖν ὁ μέγιστός τε καὶ δολερὸς ἔρως παντί. Oritur haec cupiditas[2]) recordatione eorum, quae animi nostri, cum olim in caelesti deorum consortio erant, spectaverunt. Maxime omnium hominum pulchritudinis in superiore vita conspectae recordantur philosophi et divino quodam spiritu agitati eam semper ubique persecuntur.

---

[1]) cf. Lys. p. 218 C – 222 A.
[2]) v. Phaedr. p. 241–257.

Si igitur pulchrum quoddam tanquam simulacrum illius veri pulchri cernunt, vehementi cupiditate huius adipiscendi incenduntur, in qua nihil est libidinis vel turpitudinis. Ab hac corporea pulchritudine progrediuntur ad veram animi pulchritudinem i. e. amicitiam, qua postremo ad notitiam boni ipsius perveniunt.[1])

Si igitur illa definitio (Lys. p. 221 D) Platonica esset, τὸ οἰκεῖον idem valeret atque τὸ ἀγαθόν. Sed tantum abest, ut Plato haec docuerit vel probarit, ut illos, qui hanc sententiam profitebantur, impugnaverit et ad absurdum duxerit: v. Conv. p. 205 E. οὐ γὰρ τὸ ἑαυτῶν οἶμαι ἕκαστοι ἀσπάζονται, εἰ μή τις τὸ μὲν ἀγαθὸν οἰκεῖον καλεῖ, τὸ δὲ κακὸν ἀλλότριον· ὡς οὐδέν γε ἄλλο ἐστίν, οὗ ἐρῶσιν ἄνθρωποι, ἢ τοῦ ἀγαθοῦ. Certum est hunc locum iterum ad Antisthenem referendum esse, quem hoc placitum docuisse testis est Diog. Laert. VI 12: τὰ πονηρὰ νόμιζε πάντα ξενικά.[2])

Eandem opinionem praeterea invenimus in Charm. p. 163 C, quo loco Antisthenem a Platone derideri Zellerus recte opinatus est.[3])

Apparet igitur, cur in Lyside haec quoque postrema definitio a Platone probari non potuerit. Socrates sic fere eam reicit. Hanc definitionem rectam non esse nisi proprium diversum sit a simili, nam cum idem sit ac simile, inutilem esse amicitiam, quoniam alter alteri usum affere non possit. Πότερον οὖν, pergit Socrates p. 22 C, καὶ τὸ ἀγαθὸν οἰκεῖον φήσομεν παντί, τὸ δὲ κακὸν ἀλλότριον εἶναι; Quod refutatur, quia inde consequitur, ut iniustus iniusto, improbus improbo non minus amicus sit, quam bonus bono.

---

[1]) v. Conv. p. 211 C.

[2]) cf. etiam Epiphan. expect. fid. p. 1089 C. ἔφησε (sc. Διογένης) τὸ ἀγαθὸν οἰκεῖον (cod οἰστόν) παντὶ σοφῷ εἶναι, τὰ δ' ἄλλα πάντα οὐδὲν ἢ φλυαρίας εἶναι.

[3]) v. Themistii or. π. ἀρετῆς in Musei Rhen. tomo XXVII p. 450.

Denique Socrates bonum idem valere atque proprium statuit. Sed ita nemo nisi bonus amicus erit bono quod fieri non posse supra demonstratum est.

Vides haec placita cum illis, quae in Convivio et Charmide refutantur, tantam habere necessitudinem, ut totum hunc locum ad Antisthenem spectare mihi concessurus sis.

Quibus ita explicatis ea quoque, quae apud Xenophontem Socrates de amicitia disserit, ex Antisthenis scriptis sumpta esse apparet. Omnia fere placita, quae ex acerba Platonis cavillatione ad Cynicum illum referenda esse cognovimus prorsus cum iis congruunt, quae Xenopho profert. Ut in Lyside, apud Xenophontem omnis amicitiae laus posita est in utilitate, quae a Platone aliena est, ab Antisthene autem maxime premitur. Nec vero in commentariis ipsis vestigia omnia ita latent, ut nobis originem non prodant. Vidimus Cynicos se iactasse, omnium optime se scire, quomodo amicos sibi conciliarent. Persimili ratione Xenopho Socratem inducit colloquentem et Critobulum, quemadmodum amicos sibi paret, docentem. Accedit quod Xenopho Antisthenem ipsum laudat et tales de amicitia opiniones proferentem facit, quae cum suis ipsius plane conveniunt (Mem. II 5). Ad Cynicos redit, quod nisi inter continentes homines amicitia consistere non possit. Antisthenem redolet illa Homeri interpretatio, quae pluries adhibetur (II 6, 11, 13). Denique commemorare non praetermittam, cum his placitis magnam cognationem habere quae apud Dio. Chrysost. or. XLI leguntur. Fortasse haec ex commentariis sumpta sunt, tamen ex tota quae inest in hac oratione doctrina apparere mihi videtur, e Cynico fonte ea manasse.

V.

In principio tanquam totius philosophiae Xenophonteae ponendum est illud ‚γνῶθι σαυτόν', de quo in eximio illo capite Mem. IV 2 longe omnibus praestante agitur. Xenopho ipse initio capitis prodidit, se exemplum propositurum esse, quomodo Socrates adulescentes ad virtutem adipiscendam perduxisset. Genuina Socratis consuetudine Euthydemus adulescens, qui scientiam suam iactabat et magistro non adiuvante artis politicae peritum se factum esse gloriabatur, refutatur et perducitur, ut se nihil scire fateatur. Deinde Socrates ostendit, qui artem politicam appetat, ante omnia se ipsum opus esse cognoscat, quippe cum nisi hanc impetraverit cognitionem diiudicare non possit, quid iustum, quid iniustum, quid bonum, quid malum.

Zellerus[1]) Xenophontem secutus hanc cognitionem in initio Socraticae philosophiae posuit. Sed cum Xenopho eam tanquam pro fonte habeat, ex quo manat omnis scientia, Zellerus demonstrare studet, Socrati sui cognitionem nullum commodum praebuisse nisi quod se nihil scire intellegeret. Quam discrepantiam ut solvamus, diligenter necesse est inquiramus, utrum Xenopho hoc loco Socratis an alius cuiusdam disciplinam complexus sit.

Duemmlerus ll. p. 35 recte demonstravit, in priore huius capitis parte vestigia quaedam inveniri, quae spectent ad Antisthenem: § 10. ἀλλὰ μὴ ῥαψῳδός; ἔφη· καὶ γὰρ τὰ Ὁμήρου σέ φασιν ἔπη πάντα κεκτῆσθαι. μὰ Δί' οὐκ ἔγωγ', ἔφη· τοὺς γάρ τοι ῥαψῳδοὺς οἶδα τὰ μὲν ἔπη ἀκριβοῦντας, αὐτοὺς δὲ πάνυ ἠλιθίους ὄντας. (cf. Conv. III 6.) Sed ei non credam, si Xenophontem Antisthenem Platonis ratione deridere et cum hoc contra

[1]) Phil. d. Gr. II 1 p. 102.

illum stare sibi fingit. Neque enim nobis obliviscendum est, Xenophontem prorsus aliter sentire de Cynici illius doctrina quam Platonem. Qui Antisthenem ut imprudentem illudere poterat eiusque paradoxa in risum vertere. Non ita Xenopho. Huic sobrio nobilium amico, huic militi crebris periculosisque expeditionibus durato philosophia Cynicorum, quae tota in abstinentia posita erat neque quicquam nisi felicitatem hominum spectabat, multo melius placuit, quam eximia illa Platonis doctrina, quae libera ab omnibus rebus terrestribus animos ad ideas convertebat. Quanti fecerit Xenopho Antisthenem, inde optime intellegis, quod eum diligentissimum Socratis discipulum fuisse nos docet eiusque decreta ita laudat, ut non dubium sit, quin eis plane assentiatur.[1] Si igitur Euthydemus hoc loco cum Antisthene in contemptu rhapsodorum consentit, hoc non demonstratum est, sub persona Euthydemi Antisthenem latere, sed id solum, quod Xenopho hanc sententiam probaverit.

Sed revertamur ad quaestionem, ad quemnam referenda sit illa disputatio de effato ‚γνῶθι σαυτόν'. Ut brevi dicam, hanc quoque ad Antisthenem spectare mihi persuasi. Nescimus quidem, quid Antisthenes ipse de hac re senserit, sed mirabili modo cum Xenophontis argumentatione conveniunt, quae Dio Chrysost. X. p. 203 R et praecipue Julian. or. VI et VII de ea protulerunt. Ut Socrates apud Xenophontem, ita Cynicos illud γνῶθι σαυτόν pro principio atque fundamento omnis cognitionis habuisse nobis testantur: v. Julian. VII p. 225 D. ἀρχὴ μὲν οὖν ἑαυτὸν γνῶναι, τέλος δὲ ἡ πρὸς τοὺς κρείττονας ὁμοιότης.[2]) — Ibid. VI p. 183 D. σκόπει δή, εἰ μὴ τὸ ἑαυτὸν γνῶναι

---

[1]) v. Mem. II 5. Conv. II 6, 12; III 4, 6, 8; IV 34.

[2]) cf. Demonax in Stob. florig. XXI 8 (v. Ed. Weber ll. p. 101).

πάσης μὲν ἐπιστήμης, πάσης δὲ τέχνης ἡγεῖταί τε ἅμα καὶ τοὺς καθόλου λόγους συνείληφε (cf. p. 185 D). Eum solum, qui se ipsum i. e. suam naturam cognovisset, veram scientiam, quae felicitatem praeberet, adipisci posse.[1]) Qua cognitione una effici, ut divitiae valetudo alia, quae vulgo bona dicuntur, commodo nobis essent, cum iis recte uti vel utilia appetere et male fugere nos doceret (v. Plat. Euthyd. p. 280 B—281 E). Ex consensu Xenophontis cum Antisthenis doctrina facile etiam explicatur memorabilis illa sententia § 33 statuta, ne sapientiam quidem absolute pro bono habendam esse. Quae optime quadrat in philosophiam Cynicorum, qui suam scientiam unice veram esse docebant. Praeclarissime illustrat atque confirmat hanc opinionem Diogenes Sinopensis ap. Diog. Chrysost. XIII p. 428 R sqq, qui perisimili ratione, qua Xenopho, demonstrat, scientiam per se bonam non esse, quippe quae saepissime homines in res adversas inferat et Palamedem ipsum supplicio affecerit: καὶ τὸν Παλαμήδην οὐδὲν ὤνησεν αὐτὸν εὑρόντα τὰ γράμματα πρὸς τὸ μὴ ἀδικῶς ὑπὸ τῶν Ἀχαιῶν τῶν ὑπ' αὐτοῦ παιδευθέντων καταλευσθέντα ἀποθανεῖν. cf. Mem. IV 2, 33. τὰ δὲ Παλαμήδους οὐκ ἀκήκοας πάθη; τοῦτον γὰρ δὴ πάντες ὑμνοῦσιν ὡς διὰ σοφίαν φθονηθεὶς ὑπὸ τοῦ Ὀδυσσέως ἀπόλλυται. Quod etiam Antisthenem docuisse testis est Xenopho ipse: v. Conv. III 4 καὶ ὁ Ἀντισθένης εἶπε· πότερον τέχνην τινὰ βαναυσικὴν ἢ καλοκἀγαθίαν διδάσκων; εἰ καλοκἀγαθία ἐστὶν ἡ δικαιοσύνη. — νὴ Δί' ἔφη ὁ Ἀντισθένης, ἥ γε ἀναμφιλογωτάτη· ἐπείτοι ἀνδρεία μὲν καὶ σοφία ἔστιν ὅτε βλαβερὰ καὶ φίλοις καὶ πόλει δοκεῖ εἶναι, ἡ δὲ δικαιοσύνη οὐδὲ καθ' ἓν συμμίγνυται τῇ ἀδικίᾳ.

Sed quid, dicas, nos impedit, quominus utrumque hanc disciplinam a Socrate recepisse censeamus? Cuius rei argumentum nobis praebet Platonis Charmides. Consensu, quem inter Xenophontem et hunc

[1]) v. Iulian or. VI p. 193 D.

dialogum exstare quasi in propatulo est, Teichmuellerus [1]) perductus est, ut Platonem Charmide Xenophontis commentarios refutasse putaret. Sed ut credamus, Platonem Xenophontis librum carpsisse nulla re commovemur, nisi similitudine placitorum, quae in utroque scripto inveniuntur. Praeterea Xenopho, ut Memorabilia sine dubio post Charmidem scripta esse omittam, tam mediocris adversarius erat, ut totum dialogum ad eius scripta recensenda a Platone compositum esse probabile mihi non videatur; nec vero in ullo dialogo certum vestigium exstat, quo Xenophontis doctrina distincte significetur. Prorsus aliter res se habet in Antisthene. Qui post Platonem gravissimus Socratis discipulus erat et multos inveniebat, qui eum sequerentur eiusque decreta longe lateque diffunderent.

Antisthenem in hoc dialogo impugnari Plato ipse argumenta praebet satis firma. In quibus numero illam de Zalmoxide, Thracum rege, eiusque medicis narrationem: p. 156 D. ἔμαθον δ' αὐτὴν ἐγὼ ἐκεῖ ἐπὶ στρατιᾶς παρά τινος τῶν Θρᾳκῶν τῶν Ζαλμόξιδος ἰατρῶν, οἳ λέγονται καὶ ἀπαθανατίζειν. ἔλεγεν δὲ ὁ Θρᾷξ οὗτος, ὅτι ταῦτα μὲν οἱ Ἕλληνες, ἃ νῦν δὴ ἐγὼ ἔλεγον, καλῶς λέγοιεν· ἀλλὰ Ζάλμοξις, ἔφη, λέγει ὁ ἡμέτερος βασιλεύς, θεὸς ὤν, ὅτι ὥσπερ ὀφθαλμοὺς ἄνευ κεφαλῆς οὐ δεῖ ἐπιχειρεῖν ἰᾶσθαι οὐδὲ κεφαλὴν ἄνευ σώματος, οὕτως οὐδὲ σῶμα ἄνευ ψυχῆς, ἀλλὰ τοῦτο καὶ αἴτιον εἴη τοῦ διαφεύγειν τοὺς παρὰ τοῖς Ἕλλησιν ἰατροὺς τὰ πολλὰ νοσήματα, ὅτι τὸ ὅλον ἀγνοοῖεν οὗ δέοι τὴν ἐπιμέλειαν ποιεῖσθαι, οὗ μὴ καλῶς ἔχοντος ἀδύνατον εἴη τὸ μέρος εὖ ἔχειν. Scis enim Antisthenem natum esse ab ancilla Thressa eamque ob causam a Platone Theaet. p. 174 A derideri (v. Winckelmann. Antisth. frg. p. 36 in adnotatione). Manifesta est praeterea irrisio Cynicorum superbiae eorumque cum diis similitudinis: v. Isocrat. or. κατὰ τῶν σοφιστῶν § 4. καὶ λέγουσι μέν, ὡς

[1]) Litter. Fehden d. 4. Jahrh. II p. 61.

οὐδὲν δέονται. χρημάτων, ἀργυρίδιον καὶ χρυσίδιον τὸν πλοῦτον ἀποκαλοῦντες, μικροῦ δὲ κέρδους ὀρεγόμενοι μόνον οὐκ ἀθανάτους ὑπισχνοῦνται τοὺς συνόντας ποιήσειν.[1]) cf. Lys. p. 218 A. διὰ ταῦτα δὴ φαῖμεν ἂν καὶ τοὺς ἤδη σοφοὺς μηκέτι φιλοσοφεῖν, εἴτε θεοὶ εἴτε ἄνθρωποί εἰσιν οὗτοι. Certius disciplinae Antisthenicae vestigium praesto est p. 161 B. τόδε δὲ σκέψαι, τί σοι δοκεῖ εἶναι περὶ σωφροσύνης. ἄρτι γὰρ ἀνεμνήσθην ὃ ἤδη του ἤκουσα λέγοντος, ὅτι σωφροσύνη εἴη τὸ τὰ ἑαυτοῦ πράττειν· σκόπει οὖν τοῦτο εἰ ὀρθῶς σοι δοκεῖ λέγειν ὁ λέγων. καὶ ἐγώ, ὦ μιαρέ, ἔφην, Κριτίου τοῦδε ἀκήκοας αὐτὸ ἢ ἄλλου του τῶν σοφῶν, quae definitio accuratius circumscribitur p. 163 D. ὦ Κριτία, ἦν δ' ἐγώ, καὶ εὐθὺς ἀρχομένου σου σχεδὸν ἐμάνθανον τὸν λόγον, ὅτι τὰ οἰκεῖά τε καὶ τὰ αὑτοῦ ἀγαθὰ καλοίης. Platonem hoc loco non suam sententiam protulisse elucet ex Conv. p. 203 E, ubi hanc definitionem ab alio statutam esse prodit; quis autem ille fuerit, intellegis ex Diog. Laert., qui Antisthenem bonum idem esse atque proprium, malum idem atque alienum docuisse certiores nos facit.[2])

Agitur in hoc dialogo de vi atque natura σωφροσύνης. Postquam a Charmide nonnullae definitiones statutae et a Socrate refutatae sunt, Critias, sophistarum discipulus, disputationem excipit et σωφροσύνην definit, ‚ὅτι εἴη τὰ ἑαυτοῦ πράττειν', quam sententiam, cum dubitationes Socratis sustinere nequeat, ita commutat: ‚τὴν τῶν ἀγαθῶν πρᾶξιν σωφροσύνην εἶναι' (p. 163 E). Sed hanc quoque stare non posse convictus, cum ἡ πρᾶξις τῶν ἀγαθῶν nullius pretii sit, novam definiendi viam ingreditur et σωφροσύνην nihil aliud esse contendit nisi τὸ γιγνώσκειν ἑαυτόν (p. 164 D). Socrates antequam hanc opinionem, num vera sit, acuratius examinat, eum interrogat: ἡ σωφροσύνη τίνος ἐστὶν ἐπι-

[1]) cf. Reinhardt. de Isocratis aemulis p. 25.

[2]) v. Diog. Laert. VI 12. Lys. p. 222 C. Zeller. ll. II 1 p. 257, adnot. 5.

στήμη, ὃ τυγχάνει ἕτερον ὂν αὐτῆς τῆς σωφροσύνης;[1]) Critias respondet, hoc ipso differre σωφροσύνην a ceteris cognitionibus, quod nullam rem nisi se ipsam efficiat: ἡ δὲ μόνη τῶν ἄλλων ἐπιστημῶν ἐπιστήμη.

De hac scientia scientiae, quae maximam dialogi partem obtinet, multa disputaverunt viri docti. Cum Schleiermacherus persuasum sibi haberet, eam optime quadrare in disciplinam Platonicam, Bonitzius recte demonstravit, hanc cognitionem nihil commune habere cum Platonis doctrina, immo prorsus ei repugnare.

Perspicua est inter Platonis Charmidem et Xenophontis librum similitudo. Eadem placita, quae a Xenophonte proferuntur quaeque Cynica esse cognovimus, etiam in Charmide inveniuntur; sed cum ab illo probentur, hic refutantur. Imprimis quaeso animum intendas in verba ἐπισκέψασθαι ἀναμάρτητος εὖ πράττειν εὐδαιμονεῖν, quae eadem ratione eademque significatione ab utroque usurpantur:

§ 25. πότερα δέ σοι δοκεῖ γιγνώσκειν ἑαυτόν, ὅστις τοὔνομα τὸ ἑαυτοῦ μόνον οἶδεν, ἢ ὅστις ὥσπερ οἱ τοὺς ἵππους ὠνούμενοι οὐ πρότερον οἴονται γιγνώσκειν ὃν ἂν βούλωνται γνῶναι, πρὶν ἂν ἐπισκέψωνται, πότερον εὐπειθής ἐστιν ἢ δυσπειθής . . καὶ τἆλλα τὰ πρὸς τὴν τοῦ ἵππου χρείαν ἐπιτήδειά τε καὶ ἀνεπιτήδεια ὅπως ἔχει, οὕτως ἑαυτὸν ἐπισκεψάμενος, ὁποῖός ἐστι πρὸς τὴν ἀνθρωπίνην χρείαν, ἔγνωκε τὴν αὑτοῦ δύναμιν.	Charm. p. 161 D. δοκεῖ οὖν σοι τὸ αὑτοῦ ὄνομα μόνον γράφειν ὁ γραμματιστὴς καὶ ἀναγιγνώσκειν, ἢ ὑμᾶς τοὺς παῖδας διδάσκειν, ἢ οὐδὲν ἧττον τὰ τῶν ἐχθρῶν ἐγράφετε ἢ τὰ ὑμέτερα καὶ τὰ τῶν φίλων ὀνόματα; οὐδὲν ἧττον. p. 171 D. εἰ μὲν γάρ, ὃ ἐξ ἀρχῆς ὑπετιθέμεθα, ᾔδειν ὁ σώφρων ἅτε ᾔδειν καὶ ἃ μὴ ᾔδειν, τὰ μὲν ὅτι οἶδεν, τὰ δ' ὅτι οὐκ οἶδεν καὶ ἄλλον

[1]) Charm. p. 166 B.

ταὐτὸν τοῦτο πεπονθότα ἐπισκέψασθαι οἷός τ' ἦν, μεγαλωστὶ ἂν ἡμῖν, φαμέν, ὠφέλιμον ἦν σώφροσιν εἶναι.

Xenopho nulla dubitatione interposita sibi persuasum habet illud ‚γνῶθι σαυτόν' homines vitiis immunes facere eosque docere, bona a malis distinguere: v. § 26. ἐκεῖνο δὲ οὐ φανερόν, ἔφη, ὅτι διὰ μὲν τὸ εἰδέναι ἑαυτοὺς πλεῖστα ἀγαθὰ πάσχουσιν ἄνθρωποι, διὰ δὲ τὸ ἐψεῦσθαι ἑαυτῶν πλεῖστα κακά; οἱ μὲν γὰρ εἰδότες ἑαυτοὺς τά τε ἐπιτήδεια ἑαυτοῖς ἴσασι καὶ διαγιγνώσκουσιν, ἅ τε δύνανται καὶ ἃ μή· καὶ ἃ μὲν ἐπίστανται πράττοντες πορίζονταί τε ὧν δέονται καὶ εὖ πράττουσιν, ὧν δὲ μὴ ἐπίστανται ἀπεχόμενοι ἀναμάρτητοι γίγνονται καὶ διαφεύγουσι τὸ κακῶς πράττειν. Plato contra eam in risum vertit. Si sciret quispiam, inquit, quae nescit, omnibus summo commodo futurum esse ‚σώφροσιν εἶναι'. Ita enim nosmet ipsi nunquam peccaremus et eos quoque, qui a nobis reguntur, adhortaremur, ut a vitiis sese abstinerent. Nullam rem subiremus, quam nescimus, sed peritis traderemus neque cives quicquam perperam facere permitteremus: p. 170 D ἀναμάρτητοι γὰρ ἂν τὸν βίον ἐζῶμεν αὐτοί τε οἱ τὴν σωφροσύνην ἔχοντες καὶ οἱ ἄλλοι πάντες ὅσοι ὑφ' ἡμῶν ἤρχοντο. οὔτε γὰρ ἂν αὐτοὶ ἐπεχειροῦμεν πράττειν ἃ μὴ ἐπιστάμεθα, ἀλλ' ἐξευρίσκοντες τοὺς ἐπισταμένους ἐκείνοις ἂν παρεδίδομεν, οὔτε τοῖς ἄλλοις ἐπετρέπομεν, ὧν ἤρχομεν ἄλλο τι πράττειν ἢ ὅτι πράττοντες ὀρθῶς ἔμελλον πράξειν. Vides igitur digito tanquam Cynicos significari eorumque de hominibus imperium (τέχνην βασιλικήν) refutandi causa accurate circumscribi.

Qua scientia scientiae cum nullo modo explicari possit, cuiusnam rei effectrix sit, reiecta, Socrates Critiam interrogat: τίς αὐτὸν τῶν ἐπιστημῶν ποιεῖ εὐδαίμονα? Critias respondet, scientiam bonorum et malorum: ᾗ τὸ ἀγαθόν, ἔφη, καὶ τὸ κακόν (p. 174 B). Quamquam etiam haec definitio tollitur, Bonitzius tamen eam pro vera Platonis sententia habet. Sed non recte iudicasse mihi videtur. Audias quaeso, qua ironia

Plato hoc responsum recipiat: ὦ μιαρέ, ἔφην ἐγώ, πάλαι με περιέλκεις κύκλῳ, ἀποκρυπτόμενος ὅτι οὐ τὸ ἐπιστημόνως ἦν ζῆν τὸ εὖ πράττειν τε καὶ εὐδαιμονεῖν ποιοῦν, οὐδὲ ξυμπασῶν τῶν ἄλλων ἐπιστημῶν, ἀλλὰ μιᾶς οὔσης ταύτης μόνον τῆς περὶ τὸ ἀγαθόν τε καὶ κακόν. Praeterea hanc definitionem non a Platone sed a Cynicis statutam esse testis est Aristo ap. Galenum: de placitis Hippocratis et Platonis VII p. 595. νομίσας γοῦν ὁ Ἀρίστων μίαν εἶναι τὴν ψυχῆς δύναμιν, ᾗ λογιζόμεθα, καὶ τὴν ἀρετὴν τῆς ψυχῆς ἔθετο μίαν, ἐπιστήμην ἀγαθῶν καὶ κακῶν· ὅταν μὲν οὖν αἱρεῖσθαι τε δέῃ τἀγαθὰ καὶ φεύγειν τὰ κακὰ τὴν ἐπιστήμην τήνδε καλεῖ σωφροσύνην. Quocum si contuleris Mem. IV. 2, 26: διὰ τοῦτο δὲ καὶ τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους δυνάμενοι δοκιμάζειν καὶ διὰ τῆς τῶν ἄλλων χρείας τά τε ἀγαθὰ πορίζονται καὶ τὰ κακὰ φυλάττονται, non iam dubitabis, quin tota Xenophontis argumentatio ad Antisthenem referenda sit.

VI.

Summa Antisthenis et Xenophontis philosophia continetur felicitate: v. Julian. or. VI. p. 193 B. τῆς Κυνικῆς δὲ φιλοσοφίας σκοπὸς μέν ἐστι καὶ τέλος, ὥσπερ δὴ καὶ φιλοσοφίας, τὸ εὐδαιμονεῖν. cf. Mem. III. 2, 4. IV 1, 2. Felicitas nulla re nisi virtute impetrari potest; virtus autem est scientia boni, quam eo, quod nosmet ipsos cognoscere studemus, assequimur. Sed quae esset haec scientia vel quid bonum, Cynici quod explicare non potuissent saepe a Platone carpebantur, v. Reip. 505 B al. Dicebant quidem, esse bonas et pulchras res — bonum enim idem valere atque pulchrum eos docuisse testatur Diog. Laert. VI 12: τἀγαθὰ καλά, τὰ κακὰ αἰσχρά — sed pulchritudinem vel notionem eius esse prorsus negabant.[1]) Nihil bonum nec pulchrum esse nisi quod utile: v. Euthyd. p. 292 A.

---

[1]) Duemmler, Antisth. p. 40—43.

οὐδὲ γὰρ ἡμεῖς, ὦ Κρίτων, ἀλλὰ τοσόνδε γε οἶσθα, ὅτι εἴπερ ἐστὶν ἣν ἡμεῖς ζητοῦμεν, ὠφέλιμον αὐτὴν δεῖ εἶναι. — πάνυ γε — οὐκοῦν ἀγαθόν γέ τι δεῖ ἡμῖν αὐτὴν παραδιδόναι; — ἀνάγκη, ὦ Σώκρατες. Quam ob causam omnia quae vulgo pro bonis haberentur, ut divitias valetudinem alia revera bona non esse, sed ex scientia, quae iis uti nos doceret, fieri; quae si deesset, media esse et multo magis damno quam commodo: v. Aristonem et Chrysippum ap. Galen. ll. VII p. 597. ταῦτα γὰρ οὐδὲν οὔτε ἀγαθὸν οὔτε κακὸν εἶναί φασιν, ἀλλὰ ἀδιάφορα πάντα (cf. Euthyd. p. 281 D).

Eaedem opiniones prolatae sunt Mem. III 8, ubi Xenopho cum Antisthene stare eiusque sententiam contra Platonem defendere videtur. In hoc sermone a Socrate cum Aristippo habito prodidit, illum, veritum, ne verba sua ab aliis detorquerentur, si quis eum interrogasset, num bonum esset, quod nullius rei bonum, respondisse, tale bonum se neque scire neque appetere: ἀλλὰ μήν, ἔφη, εἴγ' ἐρωτᾷς με, εἴ τι ἀγαθὸν οἶδα, ὃ μηδενὸς ἀγαθόν ἐστιν, οὔτ' οἶδα, ἔφη, οὔτε δέομαι. Bonum et pulchrum idem esse, omnia bona et pulchra ad eas res, ad quas bene se haberent, mala et turpia ad eas, ad quas male: § 7. πάντα γὰρ ἀγαθὰ μὲν καὶ καλά ἐστι πρὸς ἃ ἂν εὖ ἔχῃ, κακὰ δὲ καὶ αἰσχρὰ πρὸς ἃ ἂν κακῶς. Itaque bonum nihil aliud esse nisi utile, et quidem ei, cui utile sit: v. IV 6, 8. 9.

Quantopere haec Xenophontis placita cum Antisthene conveniant, elucet ex Platonis Hippia, cuius priorem partem ad Cynicorum illum principem spectare mihi persuasi. Neque enim intellego, quomodo quis hunc dialogum a Platone abiudicandum esse sibi fingere potuerit, quippe cum tota quae inest ei de idearum sententia et scribendi refutandique ratio ita philosophum illum spiret, ut pro certo hanc scriptionem ei assignare possimus. Recte Weberus vidit, acerba qua haec sermonis pars referta est irrisione manifesto Antisthenem significari, veluti

p. 288 D. ὦ Σώκρατες, τίς δ' ἐστὶν ὁ ἄνθρωπος; ὡς ἀπαίδευτός τις, ὃς οὕτω φαῦλα ὀνόματα ὀνομάζειν τολμᾷ ἐν σεμνῷ πράγματι. — τοιοῦτός τις, ὦ Ἱππία, οὐ κομψὸς ἀλλὰ συρφετός. — p. 289 E. εὐηθέστατος οὖν ἐστὶν ὁ ἄνθρωπος καὶ οὐδὲν ἐπαΐει περὶ καλῶν χρημάτων. — p. 290 A. ὦ τετυφωμένε σύ, Φειδίαν οἴει εἶναι κακὸν δημιουργόν; — p. 290 E. ἀλλὰ καὶ νῦν ἔγωγε γιγνώσκω, ὅτι ἀμαθής τίς ἐστιν. — p. 292 A. ὅτι, ἂν τύχῃ βακτηρίαν ἔχων, ἂν μὴ ἐκφύγω φεύγων αὐτόν, εὖ μάλα μου ἀφικέσθαι πειράσεται. Sed mirum in errorem incidit, cum ex hac re sequi sibi finxit, ignotum illum, qui adversarii partes ageret, Antisthenem intellegendum esse et magnam discrepantiam, quae intercederet inter utriusque doctrinam ita explicandam, ut quasi duplici persona ignotus ille homo a Platone indutus sit: ‚Morum rusticitate Antistheni similis est, praeceptis ab eo abhorret et cum Socrate vel Platone consentit'. Iam vides talem rationem vanam esse omnique probabilitate carere; nam luce clarius est, sub ignoto illo neminem latere nisi Platonem ipsum, quippe qui notionem pulchri esse contendat et Socratem eiusque socium hanc sententiam impugnantem ad absurdum ducat. Quorum sub personis Antisthenes tangitur eiusque doctrina ab illis prolata deridetur. Neque mirum est, quod Plato sibi maledicit; repetit enim convicia, quae Antisthenes in eum contulerat eoque quod Hippiae vel Socrati, quorum ignorantia et rusticitas in propatulo tanquam est, ea attribuit, irrisionem efficit multo maiorem.

Quam in coniecturam optime quadrant opiniones, quas Hippias, a Socrate contra ignotum illum in auxilium vocatus, de pulchro statuit. Persimili ratione, qua Antisthenes ideas esse praefracte negavit, Hippias, quid pulchrum sit, interrogatus respondet, pulchram puellam esse pulchram. Sed a Socrate, qui partes ignoti illius suscepit, eo refutatur, quod omnes res nisi ad alias comparatae pulchrae appellari non possint eamque ob causam puella pulchra cum

dea collata turpis sit et homo omnium sapientissimus ita a pulchritudine deorum abhorreat, ut simia esse videatur: v. p. 289 B. ἢ οὐ καὶ Ἡράκλειτος ταὐτὸν τοῦτο λέγει, ὃν σὺ ἐπάγει, ὅτι ἀνθρώπων ὁ σοφώτατος πρὸς θεὸν πίθηκος φανεῖται καὶ σοφίᾳ καὶ κάλλει καὶ τοῖς ἄλλοις πᾶσιν; Vides, quam petulanter et acerbe Cynicorum superbia eorumque cum diis similitudo derideatur atque castigetur. Ad Antisthenem praeterea refero definitionem illam p. 295 E. τὸ μὲν χρήσιμον ᾗ χρήσιμον καὶ πρὸς ὃ χρήσιμον καὶ ὁ ότε χρήσιμον καλόν φαμεν εἶναι, τὸ δὲ ταύτῃ πάντῃ ἄχρηστον αἰσχρόν, ex qua consequitur, ut sapientia, cum maximam utilitatem nobis praebeat, omnium pulcherrima sit, inscientia autem omnium turpissima: v. p. 296 A. ἆρ οὖν πρὸς θεῶν, ὦ Ἱππία, διὰ ταῦτα καὶ ἡ σοφία πάντων κάλλιστον, ἡ δὲ ἀμαθία πάντων αἴσχιστον (cf. p. 296 D). Eadem enim opinio invenitur et refutatur eademque ratio adhibetur in Euthyd. p. 292, ubi Antisthenem tangi supra ostendisse mihi videor. Utroque loco Cynici suis ipsorum armis vincuntur, quippe qui quid bonum vel pulchrum esset quaque re utrumque contineretur, quamquam se hoc scire atque docere gloriabantur, nullo modo tamen enucleare possent itaque postremo ea, quae doctrinae suae opposita sunt, concedere cogerentur, ut Hipp. p. 297 C. μὰ Δία, ὦ ἄριστε, οὐδὲ ἄρα τὸ καλὸν ἀγαθόν ἐστιν οὐδὲ τὸ ἀγαθὸν καλόν.

Quae cum ita sint, iam dubium mihi non videtur, quin Xenopho doctrinam suam ex Antisthenis libris sumpserit.[1]) Easdem opiniones, quas Plato deridet

---

[1]) Duemmler. Acad. p. 52 sqq. demonstrare studuit, sub Hippiae persona Isocratem 'a Platone tangi. Quod ut contenderet, movit eum similitudo quaedam, quae exstat inter Hippiae et Isocratis mores atque opiniones. Sed argumenta, quae protulit, me quidem iudice non satis firma sunt, ut persuadere nobis possint. Nam quod Hippias interdum Gorgiae figuris utitur, non minus in Antisthenem quam in Isocratem quadrat, quoniam uterque eius discipulus erat. Neque vanitas et in-

atque refutat, Xenopho defendit et ad sententiam suam confirmandam eisdem fere exemplis utitur, quae in Hippia quoque leguntur, Ut ostendat, pulchrum dissimile esse, hominem pulchre currentem comparat cum homine pulchre luctante (§ 14). Idem exemplum eademque fere verba invenimus in Hipp. p. 295 C: οὐκοῦν καὶ τὸ ὅλον σῶμα οὕτω λέγομεν καλὸν εἶναι, τὸ μὲν πρὸς δρόμον, τὸ δὲ πρὸς πάλην, κτλ. Aristippus Socratem illudens interrogat, pulchrumne credat esse corbem stercorarium: § 6. ἆρ οὖν, ἔφη, καὶ κόφινος κοπροφόρος καλόν ἐστι; Νὴ Δί', ἔφη, καὶ χρυσῆ γε ἀσπὶς αἰσχρόν, ἐὰν πρὸς τὰ ἑαυτῶν ἔργα ὁ μὲν καλῶς πεποιημένος ᾖ, ἡ δὲ κακῶς. Simili modo ignotum illum hominem Socrates sibi fingit a se quaesiturum esse, πότερον πρέπει . . . ὅταν τις τὴν χύτραν, ἣν ἄρτι ἐλέγομεν, τὴν καλήν, ἕψῃ, ἔτνους καλοῦ μεστήν, χρυσῆ τορύνη αὐτῇ ἢ συκίνη.[1]) Apud Platonem et Xenophontem denique de quaestione disputatur, num pulchra etiam turpia esse possint, et utroque loco a Socrate affirmatur: conf. Mem. § 6 cum Hipp. p. 289 C. ἔπειτα, φήσει, ἐρωτηθεὶς τὸ καλὸν ἀποκρίνει, ὃ τυγχάνει ὄν, ὡς αὐτὸς φῄς, οὐδὲν μᾶλλον καλὸν ἢ αἰσχρόν; ἔοικε, φήσω.

---

solentia Hippiae nos de Isocrate cogitare cogunt, quippe quae non tam illi quam sophistis a Platone attribuantur (v. Euthyd.). Fortasse ad Isocratem spectat definitiô illa p. 291 D. λέγω τοίνον καὶ παντὶ καὶ πανταχοῦ κάλλιστον εἶναι ἀνδρί, πλουτοῦντι ὑγιαίνοντι, τιμωμένῳ ὑπο τῶν Ἑλλήνων, ἀφικομένῳ εἰς γῆρας, τοὺς αὐτοῦ γονέας τελευτήσαντας καλῶς περιστείλαντι, ὑπὸ τῶν αὐτοῦ ἐκγόνων καλῶς καὶ μεγαλοπρεπῶς ταφῆναι. Sed haec quoque necesse non est ad illum referatur, quoniam eam esse communem Graecorum sententiam Duemmlerus ipse fatetur. Rectissime autem ostendit (p. 182 sqq.), definitionem, qua Socrates ultimo loco statuit p. 205 pulchrum esse τὸ δι' ἀκοῆς τε καὶ ὄψεως ἡδύ, ad Aristippum referendam esse. Valde miror, quod Weberus hoc non vidit, magis etiam, quod iterum Antisthenem tangi sibi finxit.

[1]) Hipp. p. 290 D. 288 C.

Conclusio.

Haec sufficiant. Quamquam singula quaedam facile proferri possunt quae Cynicam originem redolent, veluti IV 7, ubi Xenopho simili ratione, qua Antisthenes, 'geometriae et astronomiae studium reicit, quippe quod ad felicitatem adipiscendam usui non sit, vel I 1, 16. αὐτὸς δὲ τῶν ἀνθρωπείων ἀεὶ διελέγετο . . . . καὶ περὶ τῶν ἄλλων, ἃ τοὺς μὲν εἰδότας ἡγεῖτο καλοὺς κἀγαθοὺς εἶναι, τοὺς δ' ἀγνοοῦντας ἀνδραποδώδεις ἂν δικαίως κεκλῆσθαι, quae verba ad Antisthenem spectare testis est Diog. Laert. VI 8. ἐρωτηθεὶς ὑπό του καθά φησι Φαινίας ἐν τῷ περὶ τῶν Σωκρατικῶν, τί ποιῶν καλὸς κἀγαθὸς ἔσοιτο, ἔφη, ‚εἰ τὰ κακὰ ἃ ἔχεις ὅτι φευκτά ἐστι μάθοις παρὰ τῶν εἰδότων', al., tamen ex iis, quae supra exposui, satis credo perspici posse, quid Xenopho commentariis scribendis efficere voluerit. Composuit eos, ut ipse iudicium proferret, quid Socrates revera docuisset, et pugnam de hac re inter singulos Socraticos et imprimis inter Platonem et Antisthenem exortam finiret. In qua Antisthenis partes secutus est, cuius philosophia proxime ad magistri doctrinam accedere ei videbatur et animo ad beatam vitam spectanti optime respondebat. Quamvis autem se applicavisset ad Antisthenis doctrinam, tamen non omnia sine iudicio recepit, sed quae a sua sententia discrepabant vel ei contraria erant, impugnavit et auctorem suum convincere studuit, tale quid neque probandum esse neque cum Socratis disciplina consentire.

Quibus temporibus hic liber compositus sit, pro certo affirmari non potest. Hoc tamen, siquidem quae exposui vera sunt, manifestum est, eum multis annis post Socratis mortem conscriptum esse, cum iam doctrina et Antisthenis et Platonis plane perfecta atque exculta erat. Quibus cum optime con-

gruunt quae Ed. Schwartz[1]) historicis ut ita dicam rationibus perductus de tempore huius libri statuit. Oportet enim post annum undeseptuagesimum s. IV scriptus sit, quoniam Mem. III 5, 2 ad eandem spectat ingressionem Atheniensibus imminentem, de qua Xenopho in Hipparch. VII 3 loquitur quaeque ad nullam referri potest nisi quam Boeoti propter foedus Atheniensium cum Lacedaemoniis a. 69 ictum in fines illorum facturi erant.

---

[1]) Quellenunters. zur griech. Geschichte in Mus. Rhen. 1889.

VITA.

Paulus Gerhardt natus sum die XVI. mensis Mai a. 1865 in vico Grammow prope Sulzios patre Carolo matre Anna e gente Toellner. Fidem confiteor evangelicam. Litterarum primordiis imbutus gymnasium Rostochiense frequentavi, unde vere anni 1885 maturitatis testimonio instructus hanc universitatem adii studiis philologicis et historicis operam navaturus. Ibi postquam per bis sex menses moratus sum Bonnam transmigravi, qua relicta anno post Rostochium redii.

Docuerunt me viri clarissimi Bechstein Koerte Leo Marx Philippi Schirrmacher Schwartz de Stein Rostochienses, Buecheler Kekulé Nissen Usener Bonnenses. Seminarii philologici Rostochiensis sodalis ordinarius per sex semestres fui; exercitationibus historicis ut interessem Schirrmacher, archaeologicis Koerte benigne concesserunt.

Quibus viris omnibus gratias ago quam maximas.







